dentibus proſperè, mens in elationis Orcum laberetur. *Cron.* A *Hirſaugien. Jo. Trithem. ad ann. Dom.* 1091.

Sed ecce, inquit Gregorius magnus, dum facta fortium virorum narro, repentè ad memoriam venit, quid erga Andream Fundanæ civitatis Epiſcopum divina miſericordia fecerit. Nec res eſt dubia, quia penè tanti in ea teſtes ſunt, quanti & ejuſdem loci habitatores exiſtunt. Hic namque vir venerabilis, cùm vitam multis plenam virtutibus duceret, ſeque ſub ſacerdotali cuſtodia in continentiæ arce cuſtodiret, quamdam ſanctimonialem fœminam, quam ſecum priùs habuerat, noluit ab Epiſcopii ſui cura repellere, ſed certus de ſua, ejuſque continentia, ſecum hanc permiſit habitare. Ex qua re actum eſt, ut antiquus hoſtis apud ejus animum aditum tentationis exquireret: nam cœpit ſpeciem illius oculis mentis ejus imprimere, ut intellectus nefanda cogitaret. Quadam verò die Judæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens Appiæ carpebat iter: qui ad Fundanam glebam perveniens, cùm jam, diem veſperaſcere cerneret; & quò declinare poſſet minimè reperiret, juxta Apollinis templum fuit; ibique ſe ad manendum contulit. Qui ipſum illius loci ſacrilegium perti- B meſcens, quamvis fidem crucis minimè haberet; ſigno tamen crucis ſe munire curavit. Nocte autem media, ipſo ſolitudinis pavore turbatus, pervigil jacebat: & repentè conſpiciens vidit malignorum ſpirituum turbam quaſi in obſequium cujuſdam potentis præire: eum verò, qui cæteris præerat, in ejuſdem gremio loci conſediſſe: qui cœpit ſingulorum ſpirituum obſequentium ſibi cauſas, actuſque diſcutere, quatenus unuſquiſque quantum nequitiæ geſſiſſet, inveniret. Cùmque ſinguli ſpiritus ad inquiſitionem ejus exponerent, quid operati contra bonos fuiſſent, unus in medium proſiliit, qui in Andreæ Epiſcopi animum per ſpeciem ſanctimonialis fœminæ, quæ in Epiſcopio ejus habitabat, quandam tentationem carnis commoviſſet, aperuit. Cum verò hoc malignus, qui præerat ſpiritus, inhianter audiret, & tantò ſibi factum lucrum grande crederet, quantò ſanctioris viri animam ad lapſum perditionis inclinaret, ille ſpiritus, qui hæc eadem fatebatur, adjunxit; quia uſque ad hoc quoque die præterito veſpertina hora ejus mentem traxerit, ut in terga ejuſdem ſanctimonialis fœminæ blandiens alapam daret. Tunc malignus ſpiritus, atque C humani generis antiquus inimicus exhortatus hunc blandè eſt, ut perficeret, quod cœpiſſet; quatenus ruinæ illius ſingularem inter cæteros palmam teneret. Cùmque Judæus, qui advenerat, hoc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem ſpiritu, qui cunctis illic obſequentibus præerat, juſſum ut requirerent, quiſnam eſſet ille, qui jacere in templo eodem præſumpſiſſet. Quem maligni ſpiritus pergentes, & ſubtiliùs intuentes, crucis myſterio ſignatum viderunt, mirantesque dixerunt. *Væ, væ, vas vacuum & ſignatum.* Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum ſpirituum turba diſparuit. Judæus verò, qui hæc viderat, illico ſurrexit, atque ad Epiſcopum ſub feſtinatione pervenit. Quem in Eccleſia ſua reperiens ſeorſum tulit; qua tentatione urgeretur, inquiſivit: Cui confiteri Epiſcopus tentationem ſuam verecundatus noluit. Cum verò ille diceret, quod in illam talem Dei famulam pravi amoris oculos injeciſſet, atque adhuc Epiſcopus negaret, adjunxit, dicens: Quare negas, quod inquireris? quin ad hoc uſque veſpere heſterno die perductus es, ut poſteriora illius alapa ferires. Ad quæ nimirum verba deprehenſum ſe Epiſcopus intuens, humiliter confeſſus eſt, quod D prius pertinaciter negavit. Cujus ruinæ, & verecundiæ idem Judæus conſulens, qualiter hoc cognoviſſet, vel quæ in conventu malignorum ſpirituum de eo audiviſſet, indicavit. Quod ille agnoſcens, ſe ad terram protinus in orationem dedit: moxque de ſuo habitaculo non ſolùm eandem Dei famulam, ſed omnem quoque fœminam, quæ in ejus illic obſequio habitabat, expulit. In eodem verò templo Apollinis beati Andreæ Apoſtoli repentè oratorium fecit: atque omni illa tentatione carnis funditus caruit: Judæum verò, cujus viſione, atque increpatione ſalvatus eſt, ad æternam ſalutem traxit: nam Sacramentis fidei imbutum, atque aqua baptiſmatis emundatum, ad ſanctæ Eccleſiæ gremium perduxit. Sicque factum eſt, ut Hebræus idem dum ſaluti alienæ conſulit perveniret ad ſuam, ut omnipotens Deus inde alterum ad bonam vitam perduceret, unde in bona vita alterum cuſtodiſſet. *Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 7.*

Neque hoc ſilebo, quod venerabilis Abbas Stephanus, qui non diù ante in hac urbe defunctus eſt, in Provincia Nurſiæ contigiſſe referebat. Ajebat enim, quòd illic Presbyter quidam commiſſam ſibi cum magno timore Domini regebat Eccleſiam. Qui ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram ſuam ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere nunquam ſinebat: eamque ſibimet propinquare nul- E la occaſione permittens; ab ea ſibi communionem funditus familiaritatis abſciderat. Habent quippe ſancti viri hoc proprium: nam ut ſemper ab illicitis longè ſint, à ſe plerumque etiam licita abſcindunt. Unde idem vir ne unquam per eam incurreret culpam, ſibi etiam per illam miniſtrari recuſabat neceſſaria. Hic ergo venerabilis presbyter, cùm longam vitæ impleſſet ætatem, anno quadrageſimo ordinationis ſuæ, inardeſcente graviter febre correptus ad extrema deductus eſt. Sed cùm eum presbytera ſua conſpiceret, jam membris quaſi in mortem diſpenſum, ſi quod adhuc ei vitale ſpiramen adeſſet, naribus ejus appoſita oravit aure dignoſcere. Quod ille ſentiens, cui tenuiſſimus inerat flatus, quantulo niſu valuit, ut loqui potuiſſet, inferveſcente ſpiritu collegit vocem, atque erupit, dicens: Recede à me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Illa igitur recedente, virtute corporis cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Benè veniant domini mei, benè veniant domini mei, quid ad tantillum ſervulum veſtrum eſtis dignati convenire? Venio, venio; gratias ago, gratias ago. Cùmque hoc iterata crebrò voce repeteret, quibus hoc diceret, noti ſui, qui illum circumſteterant, requirebant. F Quibus ille admirando reſpondit, dicens: Nunquid hic conveniſſe ſanctos Apoſtolos non videtis? beatum Petrum, & Paulum primos Apoſtolorum non aſpicitis? Ad quos iterùm converſus dicebat: Ecce venio, ecce venio. Atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter ſanctos Apoſtolos videret, eos etiam ſequendo teſtatus eſt. Quod plerunque contingit juſtis, ut in morte ſua Sanctorum præcedentium viſiones aſpiciant, ne ipſam mortis ſuæ pœnalem ſententiam pertimeſcant. Sed dum eorum menti internorum civium ſocietas oſtenditur, à carnis ſuæ copula ſine doloris, & formidinis fatigatione ſolvantur. *Idem Gregor. lib. 14. Dial. cap. 11.*

OB TACTUS IMPUDICOS PUNITI.

Quid viro conjugali propter inhoneſtos contactus in Cameracenſi civitate, ſub venerabili Rogerio ejuſdem loci Epiſco- G po, acciderit, accipe. Virum quendam fuiſſe percepimus, qui tali vitio ſubjacebat, ut non ei ſufficeret delectatio coitus cum uxore, quin etiam eam contrectationibus illicitis moleſtaret. Ergo nocte quadam, uxore reclamante, Deique vindictam imprecante, maritus perpetrato violenter ſcelere, ad ventris officium ſurrexit; mox autem ſoluto ventre, per ſecreta naturæ in cloacam ejus viſcera deſcenderunt: Nec mora, clamans reportatur ad lectum, & publica voce confeſſus, cùm diriſſimo manuum cruciatu, quas quaſi ignibus urerentur, abſcindi petiit, in horam diei tertiam expiravit. Vide igitur quam digna tali operi vindicta illata ſit. Si ergo viri flagitium cum uxore tanta animadverſione punitum eſt, quid illi ſuſtinebunt, qui vel cœlibes, vel caſtitatem profeſſi, hujuſmodi tentant? *Ex Cathechiſmo hiſt. Antonii Dauroultii Soc. Jeſu.*

* Talio.

EJUSQUE LEX, ET POENA.

Definitio, & etymologia.

H

Talio ἀμοιβὴ Græcè, ſonat æqualem mali illati compenſationem. Unde vetus verbum emanavit. Retaliare, & legitur apud Gellium. Græcè ἀμείβεσθαι.

Lex Talionis antiqua eſt, & ſtatim poſt creatum mundum à Deo lata. Sic *Gen. c. 9. verſ. 6.* legimus, Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſcilicet ex æquitate, & juſtitia ſanguis illius: neque enim, ut benè advertit Abul. pœna talionis aliter quam per ſententiam Judicis, ad inſtantiam læſæ partis inferebatur: quæ ſi mallet æſtimari læſionem pecunia, non poterat ea pœna irrogari.

Exod. c. 21. eadem lex renovatur, & ad minutas etiam læſiones, oculo, denti, aut alii membro factas deſcendit: quæ lex ait *S. Auguſt. l. 12. cont. Fauſt. c. 25.* vindictæ, & furoris non fomes, ſed limes eſt juſtus. Falſo etiam teſti pœna talionis decernitur. *Deuteron. c. 19.*

Apud Ariſtotelem pronunciat Rhadamanthus, juſtiſſimam eſſe legem, ſi quis quæ fecit injuſtè patiatur. *lib. 5. Ethnic.* quod intellige inter perſonas paris ſortis.

Inter leges XII. tabularum una hæc erat, ſi membrum A rupit meum è pacto talio eſto, id eſt, extra pactum. Utar hic interprete Sex. Cæcilio Juriſc. Phavorinus Philoſophus hanc legem reprehenderat, præſertim quod in ea quoque ſcriptum eſſet, quin etſi membrum alter imprudens ruperit. Cæcilius reſpondet, Decemviros injuriis atrocioribus talionem appoſuiſſe, dum eo metu coercere homines volunt, & minuere, extinguereque violentiam pulſandi, atque lædendi. Neque ejus, qui membrum alteri rupiſſet, paciſci tamen de redimenda talione nollet tantam eſſe habendam rationem, ut an prudens, imprudenſque rupiſſet, ſpectandum putarent. Deinde ſubiicit. Et quæ, obſecro te, iſta acerbitas eſt, ſi idem fiat in te, quod tutè in alio feceris? præſertim cùm habeas facultatem paciſcendi, & non neceſſe ſit pati talionem, niſi eam tu elegeris. Quod edictum Prætorium de æſtimandis injuriis probabilius eſſe his poteſt? Nolo ignores, hanc quoque ipſam talionem ad æſtimationem judicis redigi neceſſariò ſolitam. Nam ſi reus qui depaſci noluerat, judici talionem imperanti non parebat: æſtimata lite Judex hominem pecuniæ damnabat: atque ita ſi reo & pactio gravis, & acerba B talio viſa fuerat: ſeveritas legis ad pecuniæ mulctam redibat. Hæc *Cæcilius*.

Pytagoricos etiam, quos in magna Græcia audire potuerunt Decemviri, jus, & uſum talionis maximè probaſſe conſtat. De iis enim loquens Ariſtoteles, ὡρίζοντο (inquit) ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθός. Quibus verbis ſignificat, eos definiſſe omninò id jus eſſe, quod pateretur quiſque viciſſim, Quanquam Ariſtoteles id probare non videatur, exiſtimans non convenire cum juſtitia vel diſtributiva, vel commutativa, hoc eſt, cum jure, quòd vel in rerum commutationibus verſatur, vel puniendi cauſa comparatum eſt.

Phavorinus quoque hanc puniendi rationem iniquam eſſe contendit. Abiiſſe tamen in deſuetudinem, quod Juſtinianus ait, adeò verum eſt, ut in toto Jure civili vix ulla talionis veſtigia ſuperſint, niſi ſi calumniatorem dicas idem judicium, quod innocenti reo intendit, ſubire debere, ideòque ſeſe inſcribere credas, & ſimul excipias quod in quadam Theodoſii, Valentinianique conſtitutione legimus *l. ult. C. ne ſac. bat. iter.* Judicem, qui delatum ad ſe crimen neglexerit, ad ipſum pati debere, quod aliis C indulſerit, & diſſimulando conceſſerit.

Cato quoque hujus legis mentionem facit: Si quis, inquit, membrum rupit, aut os fregit; talione proximus ulciſcitur.

Quid autem Chriſtus unicus Salvator noſter, de hac lege doceat, videre licet *Matth.* 5. Alibi quoque expreſsè dicit: Qua menſura metimini, eadem remetientur alii vobis.

In libro Sapientiæ legimus; quòd per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur.

Et Habacuc Propheta exclamat: Quia tu ſpoliaſti gentes multas, reliqui te quoque ſpoliabunt.

Quemadmodum autem olim tam apud Græcos, quàm apud barbaras gentes pœna talionis frequens fuit; ſic etiam nunc apud Turcas ea uſitatiſſima eſt.

Siquidem apud Areopagitas forma talis judicii fuit, ut obſervavit *Gulielmus Poſtellus c. 4. de Magiſtr. Athenienſ.* Conjecto, inquit, reo in vincula (finge de cæde agi) per præcones, & apparitores vocabuntur interfecti hominis neceſſarii, domeſtici, parentes, amici, quorum arbitrio, (quod hodie judicii æquitate fit) de pœna ſtatuebatur, ferebaturque ſententia ſecundùm damni accepti rationem. Qui mos quia eſt Turcis hodie in uſu, à me referri ampliùs poteſt Cadhi, quod nomen apud Arabes judicem ſignificat, compre- D henſo reo homicida, curat ſtatim ſiſti parentes perempti, & ſi illi deſint, neceſſarios aut illos, aut quos ex illius vita utilitas pervenire poterat. Alioqui ſi deſint illi, nomine Principis, & Legum, more procuratoris, aut advocati Regii juris ſcripti, & talionis pœna punit. Rogat præſentes, utrùm mallint hominem talione, aut mulcta puniri, ferturque pro illorum voto, ſi tamen modum non excedat, ſententia. Æſtimant hominem ſolidum ſexaginta Aſprorum millibus, quæ ſumma ad noſtram pecuniam æſtimata, mille ducentos aureos nummos reddit. Nam Aſprum genus argenteæ monetæ eſt, noſtro Careolo nummo penè par. Id æris compenſat mortis damnum. Dimidium hominis dimidii loco adjudicatur. Dimidius homo eſt, cui pes, manus, oculus, aut præcipuè partis uſus deeſt. Paris proportionis ratio in corporibus, aut in utilioribus partibus obſervatur. Hæc *Poſtellus*.

ABROGATA APUD CHRISTIANOS.

Etſi in Legibus hujus pœnæ paſſim mentio fiat, & imprimis adverſus judicem, qui delatum ad ſe crimen punire neglexerit ſtatuantur, ut eandem pœnam pati debeat, quam aliis indulſit, & diſſimulando remiſit, quomodo & olim ac- E cuſatores regulariter ſe inſcribere ad ſimilitudinem ſupplicii tenebantur, ſi in accuſatione deficerent, & ita jure puniebantur: Tamen olim talionis ſupplicium Prætorii juris clementia revocatum eſt, & hodie non ſolùm ea pœna ferè in deſuetudinem abiit; ſed etiam illæ inſcriptiones deſierunt, & in eorum locum ſatiſdationes, vel cautiones ſucceſſerunt, ut in conſtitutionibus Imperii, præſertim de pace publica, ſancita in Comitiis Auguſtanis anno 1648. videre licet.

Affert autem Gellius duas cauſas, legis ſcilicet incommoditatem, & rependendæ pœnæ, id eſt, retaliandæ difficultatem; licèt calumniatori, ſi convictus fuerit, & ſuæ pœnæ talionis, hodierno die conſtitutæ, neque abrogatæ ſint. Ei enim fiet, quod fratri ſuo fieri voluit, inquit lex divina.

Teſtatur id *Jovius in hiſtoriis ſuis*, ubi exemplum, quod Neapoli accidit ſanè memorabile, recenſet. *lib.* 15.

Aliud non minùs memoria dignum refert Juſtinianus de Alexandro bono, de quo propter calumniam ſupplicium ſumptum eſt. *Tit. 68. de falſis teſtibus.* Immò in conſtitutionibus Imperii pœnalibus apparet, nonnulla hujus pœnæ veſtigia F adhuc reliqua eſſe.

EXEMPLA SUMPTÆ TALIONIS VARIIS EX CRIMINIBUS.

OB CRUDELITATEM.

Exempla S. Scripturæ.

Fratres Joſephi vincti, & in carcerem detruſi, atque in eo ad tertium diem detenti, rediguntur in memoriam facinoris ſui, jam olim in fratrem Joſephum perpetrati. Eſtque exemplum legis talionis, qua paria paribus referunt. Mortis enim ſenſum, quia in fratre innocente contempſerant: ipſi jam vincti ab externo Principe, & in periculo ſervitutis, ac mortis conſtituti, procul à patria, à patre, ab uxoribus, à liberis abſentes, eundem mortis metum experiuntur: precum humilitatem quia diſpexerant, nunc ſuas quoque preces minimè exaudiri vident.

Patri quoniam mentiti fuerant, jam ipſis etiam vera dicen- G tibus fides negatur. Denique Simeon peſſimus, & crudeliſſimus frater, quia ſuperbia, & ſcelere vicerat alios, nunc præ cæteris vincitur, & in ſqualore carceris, & mortis exſpectatione hærere cogitur.

De hac retaliatione delictorum dicitur: Judicium abſque miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam *Jacobi*.

Qui obturaverit aurem ſuam ad clamorem pauperis: viciſſim clamabit, & non exaudietur. *Proverb.* 21.

Filii Iſrael duce Juda percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. Inveneruntque Adoni-bezec: quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum ejus, ac pedum: Dixitque Adonibezec, Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. *Lib. Judic. c.* 2.

Joas interfecit ſanctiſſimum, & modeſtiſſimum virum Zachariam filium Joadæ Sacerdotis. Quare viciſſim à ſervis interfectus eſt: ut modus pœnæ congrueret cum modo delicti. 2. *Reg.* 12.

Interfecerat Jehojakim ſanctum, & innocentem virum Uriam, qui fugerat in Ægyptum, & juſſerat cadaver ſine honore ſepulturæ abiici. Quare cum per hæc peccaſſet, per eadem punitur. Nam interfectus ſepelitur ſepultura aſini. 2. *Reg.* 24. H

Hieroſolyma denique capit Chriſtum in horto, miniſterio militum Romanorum: poſtea à militibus Romanis excinditur, & ſolo æquatur.

Historica.

De Antiocho tyranno memorat hiſtoria Machabæorum *l. 2. c. 9.* quod ex Perſide reverſus, ſuperbia elatus, iraque percitus, juraverit ſe venturum Hieroſolymam, & congeriem ſepulchri Judæorum eum facturum. Sed qui univerſa conſpicit Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili, & inviſibili plaga. Ut enim finivit hunc ipſum ſermonem, apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta, & quidem ſatis juſtè. Quippè qui multis, & novis cruciatibus aliorum torſerat viſcera. Ac tandem poſt multa, quæ eum cumulatim invaſerunt, mala, concludit Scriptura. Igitur homicida, & blaſphemus peſſimè percuſſus, & ut ipſe alios tractaverat, peregrè in montibus vita obitu miſerabili functus eſt.

Memorabile exemplum pœnæ talionis recenſet *Joan. Dubr.*

Epiſc. Olmucenſis in hiſt. Boem. l. 22. his verbis, cùm res geſtas Caroli IV. Cæſaris attingit: Pro tribunali Carolo ſedente, Sacerdos quiſpiam utroque oculo à viro quodam nobili patrono ſuo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguiſſet, injuriam querebatur ſuam. Non ibat inficias Zachora, id nobili huic cognomen erat: ſed per animi impetum, quem tunc in poteſtate non habuiſſet, facinus admiſſum excuſabat, offerebatque pecuniam pro ſatisfactione arbitrio judicum æſtimandam. Interpellavit dicentem Carolus, atque hanc tulit ſententiam. Non poſſe in hoc caſu ſatisfactionem abſque talione illi conſtare, quando cæco in integrum reſtitui oculi nequeant: ſed oportere Zachoram pariter, atque Sacerdotem perdere oculos ſuos, neque enim aliter jus eſſe æquabile. Hactenus ille.

Nullus ex interfectoribus Cæſaris triennium dicitur ſupervixiſſe. Brutus, & Caſſius iiſdem gladiis, quibus Cæſarem, ſeipſos jugularunt. Adolphus Imperator Comes Naſſavienſis manu Alberti Auſtriaci confoditur in pugna ad Spiram 6. Nov. Jul. an. 1298. Alb. autem iterum interficitur non procul à Rheno. Initium cædis fuit Joan. Dux Carinthiæ, ſica in jugulum Imperatoris adacta: ſecuti cæteri caput diſſecuerunt medium, & confoderunt pectus. Hunc exitum habuit Alb. Cal. Maii ann. 1308. Sed & parricidæ profugi ſua tulerunt præmia. Joan. ducem poſt exilium difficile, ac ærumnoſum; parricidii culpam vita Monaſtica expiaturum. Henric. Imp. habitu Heremitarum, ceu quodam reatus ſigno, quod geſtaret, circundatum, ad perpetuos carceres in Piſano Heremitarum cœnobio condemnavit. Reliquos patratæ cædis conſcientia aut in ſolitudines extruſit in quibus vitam exegerunt penè ferarum ritu inter magnas calamitates: aut ad ſupplicia exquiſita adegit.

Valens Imper. cùm infeliciter pugnaſſet cum Gothis, & in fuga abdidiſſet ſe in caſam ruſticam: ibi combuſtus periit, caſa à ſequentibus militibus incenſa. Hic exitus fuit Valentis, qui pios Doctores ex Eccleſiis paſſim ejecerat, & latè Arianum virus ſparſerat. Juſſerat ipſe comburi 80. Presbyteros navibus alligatos. Rurſus in caſa, in quam ſe occultaverat, comburitur.

Archelaum Macedoniæ Tyrannum amaſius ipſius Cratenos, qui non minùs Imperium deperibat, quàm Tyrannus amaſium, interfecit amatorem ſuum, ea ſpe, ſe Tyrannum beatumque impoſterum fore. Atqui cùm vix tres, aut quatuor dies Imperium tenuiſſet amaſius: ipſe rurſus ab aliis per inſidias circumventus, & occiſus eſt. *Ælian. lib. 8.*

Captivis aliquot cùm mortem Carolus VI. Gallorum rex remitteret, mori maluerunt. Quorum Unus tametſi ſanguinis gradu alios contingeret, eos tamen ſupplicio afficere, ſi ſalvus evaderet, obtulit. Itaque immanis carnifex concaptivos, conſanguineoſque necavit. Deteſtatus rex hominis impietatem, eum pari pœna plecti jubet. *Robert. Gaguin. l. 9. 5. hiſt. Franc.*

Joan. Martinus Trombantius Brigueranus, cum uſque quaque ſe Angrunico Paſtori nares abſciſſurum jactare ſolitus eſſet: non multò poſt à lupo furibundo compreſſus fuit, qui illi naſum dentibus avulſum deglutivit, unde ſubitò periit. Neque ex illo tempore auditum eſt, cuiquam lupum illum damni aliquid attuliſſe.

OB ADULTERIUM, STUPRUM.

David peccat adulterio: filius Abſalon contaminat patris uxores medio die.

Valentinianus III. Imperator Maximini conjugem ſtupravit, Sed à Maximino interficitur: ipſiuſque conjux rurſum à Maximino ſtupratur.

Dionysius junior in Locrenſium urbem veniens (Doris enim ipſius mater Locrenſis erat) maximas civitatis domus occupavit: eaſque roſis, ſerpillis, aliiſque id genus floribus ſtravit, & filias Locrenſium accerſebat, atq; rem cum eis habebat intemperantiſſimè. Cujus flagitii nefandam ſpurcitiem non impune tulit. Cùm enim regnum ipſius per Dionem eſſet ſublatum; tum Locrenſes, uxorem Dionyſii unà cum filiabus proſtituerunt, ſineque intermiſſione ſtuprum eis intulerunt: præſertim, qui affinitate, vel cognatione cum iis virginibus, quas Dionyſius corruperat, erant conjuncti. *Ælian. lib. 9.*

PARENTUM NEGLECTUM, CONTEMPTUM.

Narrant, fuiſſe Quendam, qui ſuum patrem malè cæſum, capillis ad limen domus uſque protraxerat. Deinde cum & ipſe ſeneſceret, multò deteriùs à filio tractatum fuiſſe, & extra limen domus protractum in luto provolutum eſſe, donec & ipſe pater clamaret: Parce, fili, ego meum parentem tantum ad limen domus protraxi.

Recitatur ſimilis ferè hiſtoria: quod Quidam parentem jam ſenio confectum in carcerem incluſerit: & miſerit per filium vilem pannum ad tunicam. Filius divinitus fortaſsè lacerat pannum, quo viſo, dixit Pater: Quid agis, perverſiſſime? Ibi filium reſpondiſſe dicunt: Hanc partem panni mihi reſervabo, donec & tu ſenueris, tunc ſimiliter te tractabo. Audito hoc pater juſſit ſenem parentem reduci: & honorificè eum ad extremum uſque halitum tractavit.

OB CASTRATIONEM ALIORUM.

Olim etiam Aſiaticæ gentes ad talionis pœnam inclinatæ fuere: ſicut apud Herodotum de quodam Hermotimo, & Pannionio Chio legitur: quamvis non inficias eam iræ, & vindictæ nimium illum indulſiſſe, & talionis terminum exceſſiſſe. Niſi fortè rationes Imp. Juſtiniani, qui talionem in caſtratores permittit, ſecutus ſit. Ille enim cùm captus ab hoſtibus, & huic venundatus eſſet, juſſit illum caſtrare. Ducebat enim Pannionius ille ex hoc impuriſſimo quæſtu, quem factitabat, vitam. Nam quos pueros forma præditos coëmerat, eos caſtrabat, ductoſque aut Sardes, aut Epheſum magna pecunia venundabat.

Hermotimus ille cùm ad regem Xerxem cum aliis muneribus deductus eſſet, progreſſu temporis ex omnibus Eunuchis maximo in honore apud eum eſt habitus. Cùm autem rex adverſus Athenas moveret è Sardibus, per id tempus Hermotimus cujuſdam negotii gratia deſcendit in agrum Miſſium, qui à Chiis incolitur, ſed Atarneus vocitatur. Ibi inventum Pannionium, atq; agnitum allocutus eſt, & multis communibus verbis primum recenſens ei, quæ per illum eſſet aſſecutus bona; deinde pollicens, quam gratiam illius meriti foret relaturus, ſi homo cum ſuis domeſticis illuc commigraſſet. Ea ratione libenter audita, Pannionius contulit ſe illuc cum uxore, & liberis. Quem poſteaquam cùm omni re familiari adeptus eſt Hermotimus, his verbis affatus eſt: O omnium poſt homines natos ſceleſtiſſime, qui ex nefandiſſ. negociatione quæſtum facis, quid aut ipſe ego, aut meorum quiſpiam, tibi, vel tuorum cuipiam malè feci, quod ex viro neutrum me reddidiſti? putabas fore, ut quæ tunc machinabaris, laterent deos? qui juſta lege utentes, te infandorum opificem tradiderunt in manus meas; ut de pœna à me tibi eroganda queri non poſſis. Hæc ubi exprobravit homini, filiis in conſpectum ejus adductis, qui quatuor erant, coegit patrem illorum genitalia proſcindere, quod cum coactus feciſſet, filii ſui adacti ſunt ejus virilia abſcindere. Ita ſupplicium ab Hermotimo ad Pannioniu rediit. Hactenus, *Herodot.*

CALUMNIAM IRROGATAM.

☞ *Vide Paulò antè.*

INSOLENTIAM MILITAREM.

De Tamerlane Scytha *Lonicerus lib. 1. hiſtor. Turc.* refert. Cùm ei in minore Aſia lacrymabunda mulier ſe obtuliſſet, querens ab ejus milite nullo dato pretio coctum lac, parumque caſei erepta eſſe, ſtatim conſiſtere exercitum juſſit. Agnito igitur Rex per pectus ſe præſente aperiri corpus juſſit, in cujus ſtomacho lac, quod mulieri eripuerat, fuit inventum. Cui ſupplicio talionis mulier deſignata erat, niſi ejus rei, qua ſe ſpoliatam queſta erat, ſigna fuiſſent inventa.

Similis hiſtoria etiam invenitur apud Georgonizium, ubi dicit, Janizarum accuſatum à muliercula ſe præſente in Damaſco, pedibus ſuſpenſum lac rurſum evomuiſſe, ideòque ſtrangulatum fuiſſe. *Lib. de Turcarum moribus.*

Talmud. Talmudici.

☞ *Vide Judæi. Rabbini.*

Tarditas.

SEGNITIES.

* Definitio, & etymologia.

Tarditas, Græcè βραδύτης, à voce Tardus; βραδύσοχλος, ſignificat ſegnitiem, & cunctationem in executione rei cujuſpiam, eſtque oppoſita celeritati: habetque potiſſimum locum in actionibus corporis, quamvis etiam transferatur ad actiones animi. Hebræis dicitur hatslath, à verbo hatſal, piger, lentus fuit.

TARDITAS, SEGNITIES, LENTITUDO.

In operis, Studii cujusvis deductione.

Qui. Utputa Magiſtratus.

Tiberius Cæſar biennio continuò poſt adeptum imperium, pedem porta non extulit: ſequenti tempore, præter quàm in propinqua oppida, & cùm longiſſimè, Antio tenus nuſquam abfuit: idque perrarò, & paucos dies: quamvis Provincias quoque, & exercitus reviſurum ſe ſæpè pronuntiaſſet, & propè quotannis profectionem præpararet, vehiculis comprehenſis, commeatibus per municipia, & colonias diſpoſitis, Ad extremum vota pro itu, & reditu ſuo ſuſcipi paſſus, ut vulgò jam per jocum Callipides vocaretur: quem curſitare, ac ne cubiti quidem menſuram progredi, proverbio Græco notatum eſt. Nec foris per legatos eſt eo principe geſtum aliquid memoria dignum. Tantùm reges ſibi, populoque Rom. ſuſpectos, aut minis repreſſit, aut pollicitationibus multis Romam extractos, nunquam à ſe dimiſit, ut Marabodum Germanum, Raſcipolim Thracem, & Archelaum Cappadocem, cujus regnum redegit in Provinciæ formam. Poſt Germanici, & Druſi interitum, quorum hic naturalis erat filius, ille adoptivus, abjecta Reipublicę cura Capreenſem ſeceſsū petiit, ubi reliquum vitæ egit. *Suet.* De eo ſic ſcribit *Joſeph.* Summus cunctator, ſi quis unquam alius, neque legationes ſine mora admittebat, neque præſidibus provinciarum, vel procuratoribus ſucceſſorem mittebat, niſi mortuis, vinctos omninò negligebat audire. Cauſam afferebat, legatos ideò admitti tardius, ne illis citò dimiſſis, alii denuò creati redeant, atque ita obruatur continuò excipiendis, & dimittendis legationibus. Poteſtates autem ſemel conſtitutas ideò ſinere, ut parcatur ſubditis, ne novis ſubinde raptoribus, ceu muſcis, & hirudinibus jejunis exhaurirentur. Per XXII. annos, quibus imperavit, duos in univerſum Judæis miſit gubernatores. Gratum & Pilatum. Vinctorum cauſas ideò ſe ajebat ſeriùs cognoſcere, ut metu mortis diutiùs torquerentur. *Joſephus lib. 18. c. 8.*

Hadrianus VI. Pontifex, in abſolvendis negotiis aliquanto lentior, timidiorque erat. Unde illa in eum Hieronymi Baldi Ungari libertas, qui cùm legatus Romam miſſus à Ferdinando Cæſaris fratre, de coërcendis Lutheranis, & Turcis auxilium imploraret, & ille cunctantiùs, perplexiuſque in re petita ageret, frequenti cœtu patrum: Sanctiſſime, inquit, pater Fabius Maximus cunctando rem Romanam reſtituit, tu cunctando rem Romanam, atque adeò univerſam Europam perditurus videris. Quo ſcommate & Pontifex mirificè pudefactus, & pleriſque patribus riſus excuſſus fuit. Sed cauſam ceſſationis in eo putant, quòd cùm de omnibus ritè, firmèque ſtatuere cuperet, non haberet, quibus cum ex animo conſultaret, quique adjutarent, ubi opus eſſet: neque ſciret, utpote novus illic hoſpes, quibus quid tutò committeret, quos proceſſu temporis cogniturus erat. Alioqui in abſolvendis negotiis nihil minùs, quàm ceſſator erat, ut ad liquidum patet ex rebus geſtis in Hiſpaniis. *Auctor vitæ.*

IN QUIBUS SEGNES, LENTI.

Dicendo.

Alcibiades, qui in rebus excogitandis acerrimus erat in dictione meticuloſior, ſeipſum in agendo protelabat, ac ſæpenumero inter dicendum, quærens, & aucupans vocabulum, aut verbum; quod fugeret ipſum, ſermone deficiebatur. *Plut. de Virtutis provectu, & in præcept. Polit. ex Theophraſto.*

Scribendo.

De Pergamo ſcriptore fugitivo, qui captus fuerat, ſic ſcribit Auſonius:

Tam ſegnis ſcriptor, quàm lentus, Pergame, curſor
Fugiſti, & primo captus es in ſtadio.
Ergo notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu.
Quæ tua neglexit dextera, frons patitur.
Pergame, non rectè punitus fronte ſubiſti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu qui dominus, peccantia membra coerce:
Injuſtum falſos excruciare reos.
Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere dextram:
Aut refugos ferri pondere necte pedes.

Alexius Commenus Imperat. fidei ſymbolum tardè ſcribens omen facit tyrannidis, & improbitatis. *Vide Titul. Tirannidis divinatio.*

Consultando.

Tiberius Imper. repentinis conſiliis (Aurelio teſte) melior erat, quàm meditatis. Unde Auguſtum legimus dixiſſe: O miſerum populum Rom. qui ſub tam lentis maxillis edit. *Plut. in Apoph.* ſcribit, dicere ſolitum Auguſtum Imp. ſe Romani imperii ſucceſſorem eum eſſe relicturum, qui nunquam bis de eadem re conſultaſſet, lentam moroſitatem illius notans.

Germani longis conciliis, & frequentibus conventibus, magis diſtinent, quàm finiunt res cœptas, dietam (ut vocant) ex dieta creantes. Qua cunctatione rem quoque Boemicam contra Huſſitas perdidere. *Crantz. l. 11. Vandal. c. 7.*

Judicando.

Cùm eſſet controverſia inter Calydonios & Eleos, utrique rem ad arbitrium Bunæ cujuſdam Athenienſis detulerunt. Convenerat autem, à manibus temperarent, donec ille de negotiò pronunciaſſet. Quod ubi ſenſiſſet Bunas, de induſtria audebat quidem utramque partem, cæterùm per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec unquam de lite voluit pronunciare. Hinc proverb. Bunas judex eſt. *Mnaſeas apud Zenodotum. Eraſmus in Adagiis.*

Nero Cæſar, in juriſdictione poſtulatoribus, niſi ſequenti die, ac per libellos, non temerè reſpondit. *Suetonius.*

Bellando.

Artaxerxes Perſarum rex contra Ægyptios bellum moliens, barbarorum ducem Pharnabazum, Iphicratem Græcorum conſtituit. Multis verò annis Pharnabazo circa apparatum conſumptis, Iphicrates videns eum in ſermone valdè potentem, in opere autem tardum, ad eum dixit: Mirari ſe, cur ſermone ſit tam celer, factis verò admodum tardus. Ibi reſpondit Pharnabazus: Id fieri, quòd ipſe quidem ſermonis ſui dominus ſit, factorum autem rex. Nam quoniam Perſarum duces non plenam omnium agendorum poteſtatem habent, de omnibus ad regem referunt, ſimiliter de unoquoque reſponſa expectant. Et hoc ipſum eo tempore irritam fecit expeditionem, quo Nectenabus, Ægyptius ſatis ſpatii habuit ad ſe præparandum. *Diod. lib. 25.*

Nicias Athenienſium dux traducebatur, quòd cunctator eſſet in re militari, qualis apud Romanos fuiſſe narratur Fabius: eoque jocularem vocem finxit vetus comœdia, μελλονικιᾶν ex μέλλειν, quo eſt cunctari, & νίκας, *Ariſtophanes in Avib.*

—— οὐχὶ νυστάζειν ἔτι
Ὥρα 'στὶ, οὐδ' ἐμμελλονικιᾶν,
Ἀλλ' ὡς τάχιστα δεῖ τι δρᾶν *id eſt,*
Porrò oſcitandi tempus haud eſt ampliùs,
Nec more Niciæ decet cunctarier,
Sed oportet aliquid agere quàm celerrimè.

Eraſmus in Adagiis, & Cælius lib. 23. c. 27. Ad. I.

Cn. Pompejus in campis Pharſalicis Cæſarem aſſecutus, bellum ducere, & hoſtem inopia commeatus opprimere ſtatuerat. Verùm dum ita Cæſarem ſenſim ſubſequitur, impetiverunt eum obtrectationibus: non Cæſarem ipſius artibus, ſed patriam, & ſenatum circumveniri, quò ſemper cum imperio ſit, neque unquam deſiſtat illis, qui dicerent, orbem terræ regere pro aſſeclis, & ſatellitibus uti. Domitius Ænobarbus eum perpetuò Agamemnonem appellans, & regem regum, invidiam ei conflabat. Nec minus erant Favonii importuna cavilla, quàm aliorum liberè emiſſæ intempeſtivæ voces. Quirites, clamabat ille, toto hoc anno non veſcemini ficubus Tuſculanis. L. Aſtanius, qui exercitus Hiſpanienſes amiſerat, proditionis nota aſperſus, cùm Pompejum tunc detrectantem cerneret certamen: demirari ſe dicebat accuſatores ſuos, cur non ad dimicandum cum provinciarum mercatore procederent. His, & hujuſcemodi multis dictis virum impotentem gloriæ, & ruboris erga amicos impulerunt Pompejum, ut relictis conſiliis optimis ſuis ipſorum obſecundaret ſpei, & motibus. At prælio commiſſo, ingenti pugna victus vix effugit. *Plut. in Pompejo.*

Salutando.

Otho I. Imp. diem ad conveniendum principibus Vormaciam edixerat. Quò ubi Venceslaus quoque Boemorum princeps evocatus venit, dicitur poſtridie, dùm ſolenne ſacrificium cunctantiùs Sacerdos facit, ipſe ſimiliter cunctantiùs curiam introiiſſe: eamque moram, quaſi ex ambitione nata fuiſſet, principes adeò ægrè tuliſſe, ut conſpirarent, ne quis ipſorum venienti aſſurgeret, neu ſuprà ſe locum conſidendi dare vellet: perſuaſum denique Cæſari fuiſſe, ut ſine ullo honore Boemum velut arrogantem dimitteret. At Cæſar ex conſpectu duorum Angelorum, qui Venceslaum in curiam deducebant, ſubitòque ibidem diſparuerant, obſtupefactus, throno exilit, adverſum vadit, ipſumque Venceslaum tantùm non adorat, ac manu mox ſua ad ſubſellia perductum, aſſidere ſibi proximum jubet. Cæteris vehementer factū admirantibus, Cæſar facti cauſam aperit, viciſſimque miratur, quòd nemo præter ſe quiſquam Angelos, tam clarum, manifeſtumque ſui ſpectaculum exhibentes, oculis ſuis aſpexerit. Hic Moguntinus Pontifex ſe quidem nihil planè vidiſſe dixit, cæterùm horrore quodam perfuſum fuiſſe. *Dubr. lib. 5.*

Opus Mechanicum Faciendo.

Ruſticus quidam, referente Suida, cùm plauſtrum hæreret in lama, otioſus invocabat Herculem. At ille aſtans: Admove, inquit, manum rotæ, ac ſtimula boves, itaque deum invoca.

Τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν. Eraſm. in Adag.

A Quo vent. Segnes eventu bono, Felici.

In re bellica plus effecit Fabii cunctatio, quàm M. Minutii præceps temeritas. Siquidem is unus Hannibalem multis jam præliis invictum, non viribus, ſed lentitudine ſuperavit. De eo præclarè Ennius apud M. Tullium in Catone majore.

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem. Eraſm. in Adag.

Infelici.

Fuit literis proditum, ab Ignavis vota Herculi, & preces effuſas non exaudiri, quòd ſoli ſtrenuo, & pervigili proſperos ſucceſſus faceret, & propitius foret. *Alex. lib. 2. c. 14.*

Galienus Imperat. cùm infeliciter contra Perſas, Saporem regem, Gallos, & Illyricos pugnaſſet, poſtremò in ſocordiam, atque luxuriam lapſus, xxx. tyrannis per diverſas orbis partes occaſionem ſumendi purpuram dedit.

TARDITAS IN PERFICIENDO,
Absolvendo, Inveniendo.

Alcibiades, in rebus excogitandis acerrimus, in dictione meticuloſior, ſeipſum in agendo protelabat, ac ſæpenumero B inter dicendum quærens, & aucupans vocabulum, aut verbum quòd fugeret ipſum, ſermone deficiebatur. *Plut.*

DISCENDO.

Hercules cithara diſcens, cùm ingenio eſſet tardo, ob eamque rem vapularet, ira motus Linum cithara peremit. *Diod. 3. c. 5.*

Ex *Plutarch. Commentariolo*, περὶ τοῦ ἀκούειν Cleantes, & Xenocrates, cùm ex ſcholaſticis hebeti maximè viſerentur ingenio, nec tamen eo nomine relangueſcerent, ab jocis in tarditatem ſuam non abſtinuere, cùm ſe perſimiles dicerent ἀγγείοις τε βραχυστόμοις καὶ πινακίσι χαλκαῖς, hoc eſt, vaſis anguſtioris oris, ac æneis tabellis, quòd vix quidem dictata perciperent, at retinerent tenaciùs. *Cæl. l. 10. c. 20. Antiq. Lect.*

Zeno Cittiæus ſucceſſorem ſuum Cleanthem δέλτοις, id eſt, tabellis ceræ durioris comparabat, quæ ſcripturam, ut vix admitterent, ita probè conſervarent. Suidas Timon Arietem vocabat. Alii etiam Aſinum. Quibus ille reſpondebat: Fateor, & ſolus certè Zenonis ſarcinam ferre poſſum. Eam tamen tarditatem ſtudio, & diligentia ſuperavit. *Laert. lib. 6.*

C Isocrates Ephorum Cumanum, qui ſcholam ipſius reliquerat nullo profectu, atque ob id à patre Demophilo denuò miſſus fuerat, ut ab integro data mercede diſcipulum ageret, δίφρον appellabat. Diphros enim Græcis dicitur currus, quòd duos ferat, pugnantem, & aurigam. Iſocrates autem ex vocis etymologia captavit jocum in ſtupidum diſcipulum, qui bis attulerit mercedem, Δίφρος enim dici videtur ἀπὸ τοῦ διφέρειν, id eſt, à bis ferendo. *Eraſ. in Apop.* Verbum translatum ab iis, à quibus duplicatum tributum exigitur: φόρον namque tributum valere, planum eſt. *Victor. lib. 4. Var. lect. c. 20.*

Stratonicus muſicus, cùm doceret Macedonem quendam, nec ille quicquam proficeret, exaſperatus in diſcipulum: In Macedoniam, inquit: pro eo quod alii dicunt, ἐς μακάριαν, ſi cui precantur exitium; Obiter notavit & Macedoniæ gentis barbariem. *Eraſm. in Apoph. ex Athen. l. 8. c. 7.*

Cato minor, ut litteris admotus eſt, ſtupidus erat ad percipiendum, & tardus. At quod ſemel percepiſſet, id retinebat, neque dabat oblivioni. Quod alioquin eſt natura comparatum, ut memoria minùs valeant ſagaces: valeant autem, qui cum labore, & ſudore arripuerunt. Quippe exiſtit unaquæque diſciplinæ comprehenſio quaſi fax animi. *Plut. in Catone.*

D Claudius Cæſar tanta fuit hebetudine in diſcendo, ut mater Antonia cum monſtrum hominis appellaret. *Volat. libro 23. Antrop.* At idem tamen firmiſſima fuit memoria.

Atticus Herodis ſophiſtæ filius præter ingenii hebetudinem, ac ſtoliditatem, ita fuit memoria nulla, ut ne elementorum quidem nomina perdiſcere, aut retinere unquam potuerit. Cui infortunio ut mederetur pater, quatuor & xx. pueros coævos & à literis cognomina ſingulos habentes, cum filio ſimul educabat, ut hac ſaltem ratione illi inſiderent. *Cæl. lib. 20. cap. 10. A. L.*

Constantinus Imperator facundiæ cupidus, cùm eam aſſequi tarditate ingenii non poſſet, aliis invidebat, eloquens tamen ſatis, & carminibus componendis aptus. *Cuſpin.*

Bellum Gerendo.

Bellum fugitivorum gladiatorum, quamvis multis Romanis ducibus, Ario prætore, & duobus conſulibus Gn. Lentulo & L. Gellio victis, Italiaque horribiliter contrita, atque vaſtata, tertio tamen anno à Romanis conſummatum eſt. Picentes, Marſi, & Peligni, gentes Italicæ, poſt diuturnam ſub Romano jugo ſervitutem, in libertatem caput erigere tentaverunt: jam multis nationibus Rom. Imperio ſubjugatis, deletaque Car- E thagine. Cui bello Italico, Romanis ſæpiſſimè victis, ubi & duo conſules L. Jul. Cæſar, & P. Rutil. perierunt, & alii nobiliſſimi ſenatores, quintus annus finem dedit. *D. Aug. l. 5. de Civ. Dei c. 32.*

Bellum Punicum ſecundum cum maximis detrimentis, & calamitate Reipubl. per annos decem, & octo Romanas vires extenuavit, & penè conſumpſit: in duobus præliis ad Thraſimenum, & ad Cannas fermè ſeptuaginta Romanorum millia ceciderunt. Bellum Punicum primum per xx. & tres annos peractum eſt: bellum Mithridaticum quadraginta annis. Bellum Samniticum annis tractum eſt fermè quinquaginta: in quo bello ita Romani victi ſunt, ut ſub jugum etiam mitterentur. *Aug. l. 5. de Civ. Dei, c. 22. Eutropius*, & *Oroſius* undequinquaginta annos in hoc bello numerant, *Florus 50. App. 80.* quod eſt *Livii* computationi vicinius, qui *lib. 23.* per centum propè annos bellum dicit geſtum inter Romanos, & Samnites, variante fortuna eventum. Quòd ſi bellum Samniticum Fabio Gurgite conſule finitur, non ſunt plures, quàm anni quinquaginta à M. Valerio Corvino, & à Cornelio Coſſo coſſ. ſed jun- F xerunt ſe Samnitium arma etiam cum Pyrrho, & jam anteà cum Dentato conſeruerant manus, poſt Gurgitem conſulem, & ante quàm in Italiam tranſiret Pyrrhus. *Ludovic. Vives ibid.*

Auxiliando.

Hectoris de Rheſo Thrace, veniente jam propè devictis hoſtibus. *Apud Eurip. in Rheſ.*

Rheſus ſcilicet oſtendit, qualis ſit Trojæ amicus. Venit enim ad convivium, non præſens exiſtens venatoribus capientibus prædam, neque unà laborans bello.

Eo die quo Galli in Formiano litore longa, variaque pugna ab Hiſpanis victi, intra portam Cajetæ compulſi ſunt, cùm Cerbellio è citeriore Hiſpania nobilis eques ad navandam operam ſeriùs quàm oporteret ſe expediſſet, confectoque jam prælio, partaque victoria armatus in navicula concitatis remis ad victores ſocios appropinquaret, & multis è litore ſpectantibus, Quiſnam eſſet, qui thoracatus adventaret, Didacus Mendocius ſuſcitaretur: repentè ad eum Conſalvus reſpondens inquit: An adeò tibi hebes eſt oculus, ut ſanctum Hermum non agnoſcas? Sancti enim Hermi ſidus Chriſtiani nautæ vocant, quòd G ex turbulenta tempeſtate tranquillitatem pronunciat, cùm in antennis apparet, non ſecùs ac antiqui de Caſtoris, & Pollucis ignibus crediderunt. Agnovere aſtantes lepidiſſimè dictum, cùm tarditatem Cerbellioni falſus Imperator exprobraſſet, qui confecto prælio, & pacatis rebus armatus adventaſſet, tanto omnibus exorto riſu, ut Cerbellionem è navicula deſcendentem ſancti Hermi nomine ſalutarent. Idque ei poſteà cognomentum inter milites æternum fuit. *Jov. in Conſ.*

NAVIGANDO.

In Pigros Nautas, *Martialis Epigram. lib. 3. ſic ludit.*

Ceſſatis pueri, nihilque noſtis,
Veterno reſignaque pigriores.
Quorum per vada tarda navigantes
Lentos figitis ad celeuma remos.
Jam prono Phaetonte ſudat Æthon,
Exarſitque dies, & hora laſſos
Interjungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas,
Tuta luditis otium carina.
Non nautas puto vos, ſed argonautas.

Cùm è mediterraneis inſulæ Scandiæ, tribus vecti navibus H Gothi, Berigo rege, Sarmaticum litus attigiſſent, tertia navis tardius applicuit: & à pigritia, quæ horum lingua Gepanta dicitur, Gepidarum nomen Nautæ iſti accepere. Ad inſulam Viſtulæ amnis diù commorati, eam Gepidam appellarunt. Deinde cùm Sarmatiæ intima penetraſſent, ad Danubium uſq; deſcenderunt: & regem magnanimum ſortiti, cui Faſtidiæ nomen erat, patrios fines armis propagarunt: Burgundiones ad internecionem ferè deleverunt. *Bon. l. 2. Dec. 1. & Cran. l. 2. Svec. c. 6. ex Jordane.*

Cùm magna cura Rhodii belli Pontifex Hadrian. VI. teneretur, ad Adurnios Petrum Raborium Genuam miſit, qui onerarias naves conduceret. Sed ægrè admodum expedita pecunia, aliquantò tardius quàm oporteret. Tres excelſæ naves ſunt exornatæ, quibus incredibili eventu felicem curſum Fortuna denegavit. Nam perpetuos duos menſes prodigio quodam contra anni conſuetudinem Eurus, & Vulturnus, qui ſunt venti omnium adverſiſſimi navigantibus ad orientem, maria tenuerunt, cùm eo tempore naturali terrarum halitu Eteſiæ flare conſueverint. *Paulus Jovius in Hadriani vita.*

ÆDI-

ÆDIFICANDO.

A Diphilus Architectus tardiſſimus in perducendis ad finem ſuſceptis operibus. Hinc ortum proverb. Diphilo Diphilus tardior, uſurpatum à *Cic. l. 3. ad Q. fratrem Cæl. l. 15. c. 24. A. Lect.*

Auguſti jocum in tardum ſui Theatri Architectum, *pete ex Tit. Cauſidicorum imperitorum.*

☞ *Require locum de Aſſiduitate, Celeritate, Acedia.*

* Tartari.
QUI VOCENTUR.

Tartari vocantur Incolæ regionis, quam vulgò Tartariam dicimus, quæ Europæ aliquam partem versùs Septentrionem Ruſſiæ, & Moſcoviæ finitimam, & Sarmatiam Aſiaticam, Scythiam, & Sericam, quam nunc Cathajo vocant, complectitur. Nomen habent à fluvio Tartaro, qui eam partem irrigat, quæ ab accolis Mongul, à noſtris Magog appellatur. Circunſcribitur autem Regio univerſa Orientali Oceano, Septentrionali, & regionibus Auſtralibus, & dividitur in Tartariam minorem, deſertam, & antiquam, vide Atlantem Gerardi mercatoris, & Coſmographiam Abr. Ortelii. Natio omnis profana B eſt, & barbara, jus ipſis in armis, lex in robore, & viribus: domos non habent, ſed pro his plauſtra, urbes rariſſimas: itaque catervatim degentes depaſtis frugibus, aliò commigrant. Homerus iſtos vocat ἀγαύους ἱππημολγοὺς, γαλακτοφάγους ἀβίους τε. Latam faciem habent, & obeſam, oculos contortos, & concavos, ſola barba horridi, cætera raſi; corpus validum, animum audacem. Crudis, aut ſemicoctis carnibus veſcuntur. A ſuilla abſtinent. In vaſtis ſolitudinibus viarum incerti, curſum poli arctici, quem ipſi *Seneſincol*, hoc eſt clavum ferreum vocant, adſpectu dirigunt. Sitim levant ſanguinis equini potu. Pecuniæ uſum non habent, itaque res pro rebus commutant. Horda tamen Zavolhenſis dicitur Turcarum Aſpros admittere. Preſhovienſis etiam ducatos. Iſmaelitas ſe eſſe dicunt, idque etiam præ ſe ferunt: Mahometi legem admiſere anno MCC. XLVI. cætera Judæorum ritu peragunt, circumciduntur, lavantur, & quotidie ſolenni hora exclamant: *labi illo illoth*, Non eſt Deus, niſi unus Deus.

Summus ipſis Sacerdos eſt *Seyd*, Imperator Cham. Præter hos ſunt etiam Hordæ Judæorum, ſunt & Paganorum, & Chriſtianorum, & Neſtorianorum. Hordæ verò cœtum, con- C ventumque ſignificant ad uſum communem.

Tartarorum Duces fortes. ☞ *Vide locum de Fortitudine.*
Reges. ☞ *Vide Magiſtratus chronologicè conſideratus.*

Taurus.

Utpotè illius alimentum ☞ *Vide Alimentum.*
In auxilium comparare. ☞ *Pete ex loco de Auxilio. Titulo, Auxilia comparare. Item ex loco de Hoſtibus. Tit. Terrere Hoſtes auxilio belluarum.*
Necati à Tauris. ☞ *vide locum de Morte. Tit. mort. Inſtr.*

Tectorum Architecti.

☞ *Ex loco de Opificibus Mechanicis, conſideratis ſecundùm actionem, quàm imprimunt, vel producunt.*
Præcipitati Tecto. ☞ *Vide in loco de Morte.*

Telorum Fabri.

☞ *Quære locum de Opificibus Mechanicis, ſuprà.*

* Temeritas. Temerarii.
Definitio, & Etymologia.

D Temeritas Græcè ἀβουλία, unde & temerarius ἄβουλος Hebr. *Zadhon*, à verbo *Zadh*, efferbuit, temerè egit; eſt exceſſus in audendo, & aggrediendo: cùm quis, ut malum imminens repellat, aggreditur aliquid, quod non convenit, vel quando, vel quomodo non convenit. Oritur autem ex inconſideratione, plerumque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ, cui quando connectitur vitæ contemptus, vel animi ſtoliditas, mortem non apprehendentis, tunc cæco impetu ſe in pericula coniiciunt. Hos autem vocat Ariſtot. οἱ φανκινδύνους, projectæ audaciæ homines, qui mortem pro ludo habent.

Cic. lib. 4. Rhet. definit Temeritatem, gladiatoriam periculorum ſuſceptionem, cum inconſiderata doloris perpeſſione.

Secundum B. Thomam, eſt præcipitatio, per quam fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, ſed vel propter impetum voluntatis, & Paſſionis, vel ex contemptu. Unde *Ariſt.* temerarium dicit, qui nihil formidat, ſed adverſus omnia irruit. *l. 2. Ethic.*

Temerarii longè faciliùs audentes vocantur, quàm cauti, & prudentes. Qui enim præter officium ſit quippiam auſus, ex aliorum benevolentia, quibus fortè vir acceſſit viſus, honorem. Is verò, qui prudenter, & cautè periculum ſubterfuge- E rit, nec tamen pro votis rem geſſerit, incidentium proculdubiò rerum ſubiturus eſt noxam, & ſi quid ejus ex animo, ac ſententia egerit, nihil prorſus feciſſe imperitis videbitur. *Procop. de bel. Goth. lib. 3.*

Temeritatis poena, et Pericula.

Nihil eſt temeritate turpius nec quicquam tam indignum ſapientis gravitate, & conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere. *Cicero lib. 1. de Natur. Deor.*

Exemplis res fiet manifeſta, quàm ſubiti ſint impetus temeritatis, ut quibus concuſſa humana mens, nec ſua pericula deſpicere, nec aliarum facta juſta æſtimatione penſare valet.

Exempla S. Scripturæ.

Filii Iſrael poſtquam murmuraſſent adverſus Dominum, cùmque graviter offendiſſent, quod exploratores miſſi ad contemplandam terram promiſſionis, terræ apud populum detraherent, & aſcenderent ex adverſo Amaleticis, & Chananæo, contra verbum Domini, & mandatum Moyſis, contenebrati ut loquitur Scriptura *Num. c. 13.* percuſſi ſunt, & conciſi ab F hoſtibus, ſuæ temeritatis meritas pœnas luerunt, quod ipſis poſtmodum exprobravit Moyſes *Deut. c. 1. in fine.* Locutus ſum, inquit, & non audiſtis, ſed adverſantes imperio Domini, & tumentes ſuperbia, aſcendiſtis in montem. Itaque egreſſus Amorrhæus, perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi.

Filii Ammon, & Moab, & montis Seir, egreſſi ut pugnarent contra Judam, & delerent eum, in ſemetipſos verſi, mutuis vulneribus conciderunt, ſic ut Joſaphat videns proſtratam multitudinem, per dies tres ſpolia detrahere non potuerit prædæ magnitudine. *lib. 2. Paralip. c. 20.*

Etiam temeritatis periculum ſubiit Joſias inſtaurato templo, quando non acquieſcens ſermonibus Nechao ex ore Dei, aſcendit ut dimicaret in campo Mageddo contra Nechao regem Ægypti, & vulneratus in prælio, paulò poſt in Hieruſalem mortuus eſt. *Ibid. c. 31. verſ. 23.*

Exorciſtæ Judæi, qui per compita, & fora venalem ſuam artem circumferebant, videntes ad imperium Apoſtolorum, eorumque deprecationem fugari ſpiritus nequam, etiam tentaverunt invocare ſuper energumenos nomen Jeſu; at inſilierunt in eos ſpiritus, & vulneraverunt eos, ut nudi, & laceri G fugerent de domo illa. *Act. cap. 19.*

Historica.

Demetrius Illyriorum rex temerè movens bellum contra Romanos, hinc Gallorum, illinc Carthaginenſium terrore perculſus, inſigni prælio vincitur: fuga tamen ſalvus evadit, profectuſque ad Philippum Macedoniæ Regem, reliquum ætatis ſuæ apud eum egit, vir alioquin audax, & robuſtus, ſed temerè, ac parum conſideratè in rebus bellicis ſe gerens. Quapropter exitum quoque talem habuit, qualis anteacta ejus vita fuerat. Nam cùm ex ſententia Philippi Meſſeniorum urbem oppugnare cœpiſſet: nimia audacia profuſus, turpiſſimè ab hoſtibus interfectus eſt. *Vide Polybium l. 3.*

Chaones cùm Stratum Acarnanum urbem obſidere vellent cum aliis Barbaris: ſuis viribus freti, ut qui omnium illius continentis bellaciſſimi haberentur, non ſuſtinuerunt caſtris deligere locum, ſed robore ipſo feroces, additis aliis mutuò auxilio barbaris, urbem ſeipſo clamore expugnatores ſperabant: ſuumque id opus fore. Quos propius accedere Stratii animadvertentes, arbitrati, ſi ab aliis ſejunctos ſuperaſſent, fore ut nequaquam poſteà Græci ſimiliter accederent, circa urbem inſi- H diis proſilientes circumveniunt timore perculſos: multiſque Chaonum trucidatis, cùm alii barbari hoc cedentes viderunt, ne ipſi quidem jam ſuſtinuere, ſed in fugam ſe conjecere, neutro Græcorum agmine ſentiente hanc pugnam, ita multùm illi præceſſerant, ſed opinante, deligendis caſtris occupatos.

Temerarii quales ſint, cum in provocando, tum poſt provocationem ipſam in conſerendis manibus, Taurea ille Campanus ſatis docere poteſt. Nam verbis, quàm re ferocior, ut eſt apud Livium, cum Claudio Aſello milite Romano, quem etiam contempto jure hoſpitii provocaverat, equo congreſſus, ubi aliquantum pugna extracta, ſine ullo eſſet vulnere, minitabundusque dixiſſet, in cavam viam dimittendum eſſe: ubi conſertis manibus decernerent, nullo ibidem equis ad evagandum dato ſpatio: & Rom. confeſtim equum in viam egiſſet, ipſe repentè concitato equo, Capuam refugit. In quem illud in Drancem Turni dici rectiſſimè poteſt: quod ei ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus Mavors eſſet.

Quo

Quo de genere ſunt etiam milites glorioſi. Curate ut ſplendor meo ſit clypeo clarior, quàm ſolis radii eſſe olim, cùm ſudum eſt, ſolent: ut ubi uſus veniat, contra conſerta manu perſtringat aciem oculorum in acie hoſtium. Hic, qui tam multa, magnaque videri vult promittere, ubi in conſpectum adverſarii venit, ut ſtatim ſeſe periiſſe dicit; Ac deprecabundus vapulat, vincitur: tandemque exolutus habere ſe gratiam dicit.

Fortunam potiùs avaritia ductus, quàm prudentiam videtur ſecutus M. Craſſus, cùm jam ſexagenarius exercitum in Parthos, gentem ferociſſimam, duxit, multis optimis civibus indignè id ferentibus, quòd prædæ aviditate ad eos populos oppugnandos proficiſceretur, qui non hoſtes Romani populi, ſed ſocii potiùs, & amici extitiſſent: & præſertim cum Actejus Pontifex in eum diras execrationes caneret, & cunctis imprecationibus devoverat, quibus obnoxii divino judicio damnati eſſe putabantur. Sed cùm grandis natu eſſet, & non integræ omninò valetudinis; inter juvenes ſe deputabat. Quin etiam cùm exercitum duceret, iter per Galatiam fecit, quo loci Dejotarum regem offendit operi intentum, quòd nova mænia metiretur: in quem Craſſus mordaciter cavillatus eſt, dixitque: Duodecimam jam diei horam agis, ò rex, & novam urbem ſtatuis? Erat enim octogenarius Dejotarus. Cui tum ille viciſſim ſubridens ait. At tu ne matutinus quidem, ò Imperator, cum exercitu in Parthos feſtinas. *Franciſc. Patrit. l.6. de regno tit.*10.

C. Curio in Africa relictus à Cæſare contrà Actium Varum Legatum Pompeii Uticam obſidebat, in quam Varus profugerat. Jam cives præ inopia de deditione agebant; intereà nuntii à Juba rege illum cum maximis copiis adeſſe nunciant. Curio certior rei factus, relicta obſidione in caſtra ſe recipit: ibi à profugis quibuſdam per dolum miſſis, audivit, Jubam finitimo bello revocatum, in regnum rediiſſe, miſiſſeque Saburam parva manu ſtipatum. Curio verò cùm id temerè crederet, educto exercitu Saburæ occurrit, quem rex cum ingenti multitudine ſequebatur, prælio inito, undique ab hoſtibus circumventus, cum magna parte exercitus interficitur, dum juvenili furore concitus temerè credit. *Idem lib.6. tit.*14.

Othoni Cæſari amici omnes dicebant, prælium protrahi oportere, quando fame, & anguſtiis locorum hoſtis urgeretur. Ille autem neminem auſcultavit, ſed temerè conflixit, & exercitum ſimul cum imperio amiſit, & ſibiipſi mortem conſcivit. Brixillique ſepultus, omni exequiarum pompa, omnique ſepulchri honore caruit. Nihilque in eo æquè laudatur, quàm quòd poſt tantam temeritatem ſibiipſi vim attulit. *Idem ibid.*

Pompejus ex hoc etiam habitus eſt incautior, quòd initurus Pharſalicum prælium claſſem quam maximam omnium habebat, & per quam omnem commeatum hoſtibus arcere, præcludereque poterat, & claſſem ad omnem opportunitatem paratam haberet: ſatis putaverit, terreſtri manu decernere contra Imperatorem tot, tantiſque victoriis elatum, & exercitum longis laboribus aſſuetum, & præcipuè cùm de ſumma re ageretur, nec uter eorum vinceret, certamen eſſet, ſed uter eorum imperaret. *Ibidem.*

Exempla Poetica.

Audiamus, quid de Phaetonte loquatur *Ovidius*: cujus quàm audax incœptum, & viribus impar eſſet, filio pater oſtendit.

Magna petis Phaeton: & quæ non viribus iſtis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis, &c.

Et quæ ſequuntur. Luculentiſſimè enim locum hunc executus eſt Poeta. Quibus tamen Phaeton nequaquam deterritus.

Occupat ipſe levem juvenili corpore currum,
Statque ſuper manibuſque leves contingere habenas
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.

Nec multò poſt, ubi concaluiſſe equos ſenſit, quàm repentè infractus eſt animo: ut nec ſciat, quà creditas ſibi habenas flectat, nec quà iter ſit; nec ſi ſciat, equis imperet. Itaque ut

—— *Summo deſpexit ab æthere terras*
Infelix Phaeton penitus, penituſque jacentes:
Palluit, & ſubitò genua intremuere, timore, &c.

Nam curru excuſſus, atque è cœlo præcipitatus, in terra ignota ignobiliter mortuus dicitur.

In temerarios ita luſit *Andreas Alciatus.*

Dum dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub picea, & clavam, cæteraque arma tenet.
Alcydem Pygmea manus proſternere letho
Poſſe putat, vices non benè docta ſuas.
Excitus ipſe velut pulices ſic proterit hoſtem,
Et ſævi implicitum pelle leonis agit.

☞ *Quære etiam pleraque ex loco de Pœna, ſive Punitione.*

Temeritatis Fuga.

Pericli contra ſexaginta armatorum Peloponneſiorum, ac Bœotorum dimicandum nullo modo viſum eſt, etiamſi de ipſis Athenis ea dimicatio fuiſſet futura: ideò cives ſuos pugnam poſcentes indignèque hoſtium populationes ferentes, verbis mitigavit, docendo arboribus quidem exciſis facilè alias enaſci, hominum jacturam reparatu haud ita proclivem eſſe. Præterea populum nequaquam in concionem advocavit, ne aliquid præter animi ſui ſententiam agere cogeretur. Ac quemadmodum navis rector, vento mari incumbente, omnibus rectè curatis, inſtructiſque armamentis, arte ſua utitur, valere juſſis earum, qui navi vehuntur, periculumque, & nauſeam non ferunt lacrymis, precibuſque; Ita Pericles urbe tum clauſa, omnibuſque locis præſidio firmatis, ſua conſilia ſecutus eſt, parvi faciens obtrectationem, indignationeſque civium. Enimverò & ex amicis multi precibus eum urgebant, inimici minis, ac criminationibus territabant, multi cantilenis, ac dicteriis imperium ejus exagitabant, mollitiem, & proditionem obiicientes: verùm his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo, & tacitus ignominiam, odiaque toleravit, miſſaque in Peloponneſum claſſe centum navium, ipſe in urbe remanſit, reſque domi miniſtravit tantiſper dum hoſtes diſceſſerunt. *Plut. in Pericle.*

*Apophthegmata.

Demonax aliquando in balneis cùm refugeret ingredi aquam ferventiorem, & alius illum appellaret meticuloſum: Quid, inquit, an hoc pro patria paſſurus eſſem? Sentiens, temeritatis eſſe, non fortitudinis, ſubire periculum, niſi ob cauſam gravem, & honeſtam fiat. *Eraſm. l.8. Apoph.*

Cùm Athenienſes geſtirent Harpalo ferre ſuppetias, jamque in Alexandrum armarent, derepentè apparuit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotiis præfecerat: hic, cùm populus metu attonitus conſileſceret: Quid facerent, inquit Demoſthenes, ſi ſolem videant, qui non poſſunt obtueri lucernam? Ita populo temerarios motus exprobravit. *Eraſ. l.4. Apoph. ex Plut.*

Antigonus cùm audiviſſet filium in extraordinario conflictu ab hoſtibus interfectum eſſe, nil aliud dixit, quàm: Serò nimis interiiſti, mi fili, qui tam temerè in hoſtes te conjeceris, neque tuæ ſalutis, nec meorum monitorum memor. *Eraſm. in Declam. de morte.*

Fabius Max. audiens Minutium collegam, qui feliciter nonnullos hoſtes jam dejecerat, multùm laudari, ait, ſe magis ſecundam Minutii collegæ fortunam, quam adverſam pertimeſcere. Sentiens, illius temeritatem periculoſiſſimam eſſe Reip. quam ſi rerum ſucceſſus attolleret, in extremum diſcrimen adducturam univerſum populum Romanum: ſed adverſis caſibus futurarum moderationem. *Plut. in Rom. Apoph.*

Idem Minutius cùm Fabium tanquam cunctatorem in ſenatu inſimulaſſet, quod præ timore pugnam detrectaret, partituſque eſſet cum Fabio copias, eoque invito prælium cum Annibale iniiſſet: Ita eſt, inquit Fabius, non celerius, quam timui deprehendit fortuna temeritatem. *Bruſ. lib.3. c.16. ex Plut.*

Scipio Africanus dicere ſolebat, In re militari turpe verbum eſſe. Non putaram: quòd aliis in rebus interdum locus datur, malè inſtituta poſterioribus conſiliis melioribus corrigere: cæterùm, quæ ferro peraguntur, ea non oportere temerè aggredi, quòd hic error ferè eſt inemendabilis. *Plut. in ejus vita.*

Augustus Cæſ. eos, qui levem ob cauſam periculis ſe exponerent, ſimiles ajebat eſſe aureo hamo piſcantibus: qui plus damni amiſſo ſemel hamo acciperent, quam multarum capturarum lucro poſſent reparari. *Fulgoſ. l.7. cap.*2.

Philo. Quæ abſque ratione fiunt, inquit, omnia ſunt turpia. Quæ verò cum ratione, omnia decora. Item, circa doctam contemplationem nihil decorè fieri poteſt. Scientia enim à bono conſilio naſcitur: at inconſulta temeritas malorum omnium ſcaturigo eſt. Jam, Meditatio ſera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis eſt pœnitudo. *Ant. ſerm. de temer. conſilio.*

Hieroglyphica.

Temerariorum hieroglyphica tabella is eſt, qui equum ferociſſimum conſcendit. Raptans illum fert equus, nec deſcendere patitur. Huic quidam obvius, & quærens, quò tam feſtinanter abit, reſpondet miſer, equum digito demonſtrans, verbaque in auras evaneſcentia ſpargens, quò iſti placet. Temerarios etiamſi quis interroget. Quò ferimini? reſpondebunt, ſi vera fatentur, Quò noſtris placet cupiditatibus, nempe voluptati, ambitioni, avaritiæ. *In Hieroglyph. collectan. l.6.*

Non te quæſiveris extrà, inquit *Perſius Sat.*1. Hieroglyphicon illud à Cochlea teſtæ ſuæ incluſa petitur, & temerariis principibus, atque rebus publicis (aliorum potentiorum principum reſpectu) non multùm valentibus, ac quibus quies tuta, damnoſaque, & exitioſa temeritas eſt, apprimè conveniens. Monet autem eos Satyricus, ne immaturè prodeant cum certo vitæ ſuæ periculo. Audiat ergo turba imbellis monitum Cochleæ aptatum. *Non tibi tela nocent latitanti, erumpere at auſam configunt, &c. ibid.*

Icarus, Ixion, & Phaeton à Poetis decantati temeritatis infelices exitus proponunt.

Temperantia.

Definitio, & Etymologia.

Temperantia Græcè σωφροσύνη, dupliciter accipitur, ut notat *S. Th.*2.2.*q.*141.*a.*2.*in cor.* Primò ſecundùm amplitudinem ſuæ ſignificationis, pro virtute, quæ refrænat affectum ab his, quæ ipſum contra præſcriptum rationis alliciunt. Temperantia enim inſinuat quandam temperiem, & moderationem, quam ratio actionibus, & affectibus humanis imponit; quo modo non eſt virtus ſpecialis; nam omnis virtus moralis id præſtat.

Secundò ſtrictè, & κατ' ἐξοχὴν pro virtute, quæ refrænat appetitum in his, quæ maximè alliciunt: & ſic eſt virtus magis ſpecialis, & cardinalis. Dicitur Hebraicè *Dober*, id eſt, modus rei, à verbo *Dabar*, locutus eſt: in ſermone enim modus ſervandus, ſic & in rebus cæteris.

Cyrus, cùm ſuam ipſius temperantiam oſtenderet, faciebat, ut eam magis omnes exercerent. Cùm enim vident homines eum, cui maximè licet, uti contumelia, hunc vivere temperanter, tantò magis ii, qui ſunt imbecilliores nulla uti contumelia videri volunt. At pudorem, & temperantiam ita diſtinguebat, quod pudentes, quæ turpia in propatulo eſſent, fugerent, temperantes verò, ac prudentes etiam, quæ in obſcuro. Et continentiam quoque hoc pacto maximè arbitrabatur exercendam, ſi ſeſe ipſe oſtenderet minimè per præſentaneas voluptates abſtrahi à bonis actionibus, ſed potius laborem ſumere cùm honeſtate conjunctum velle ſeſe priùs, quàm voluptates. *Xenoph. de pædia Cyri lib.*8.

Ejus Materia.

Hujus virtutis materia ſunt delectationes corporales, non omnes, ſed quæ tactu percipiuntur ex eſculentis, & poculentis, & rebus venereis. Ubi nota *ex Ariſt.*3. *Eth. c.*10. quaſdam delectationes eſſe ſpiritales, quaſdam corporales. Spiritales dicuntur, quæ ſequuntur operationem mentis, vel phantaſiæ, ut ſunt omnes, quæ ex contemplatione rerum divinarum, vel naturalium, vel cujuſvis veritatis naſcuntur. Item ex honoribus, & fabularum narratione, &c. circa hujuſmodi non eſt propriè temperantia. Metaphoricè tamen, & impropriè intemperantes dicimus, qui in rebus ſpiritualibus nimium ſectantur ſenſibilem quandam ſuavitatem.

Corporales ſunt, quæ capiuntur per ſenſus externos. Sed neque circa has omnes verſatur hæc virtus.

Igitur temperantia primariò verſatur in voluptatibus guſtus, & tactus moderandis: hæ enim & vehementiſſimæ ſunt, & à ratione longiſſimè abducunt; ſunt enim nobis cum beſtiis communes, & ea parte, qua cum illis convenimus, percipiuntur: unde etiam maxime turpitudinem, & dedecus conjunctum habent, cùm ſimiles brutis faciant, quare maximè neceſſaria fuit virtus, quæ has frenaret, & ſecundùm rationis præſcriptum, (quæ humanarum actionum eſt menſura) ut homine ſint dignæ, moderaretur. Secundariò tamen etiam in oblectatione aliorum ſenſuum; nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem tactus vel guſtus, mediante imaginatione, incitant: ejuſdem enim virtutis eſt, moderari finem, & ea, quæ ſunt ad finem. Igitur proxima hujus virtutis materia, cui formam ſuam imprimit, ſunt delectabilia tactus, i. eſculenta, poculenta, venerea, in quorum appetitione, & uſu modus rationis ſervandus eſt, ſic ut ipſa illorum appetitio proxima temperantiæ materia conſtituatur.

Remotior eſt ipſe externus uſus: huic quoque modum imponit, faciendo ut talis ſit, qualis temperantem virum decet. Remotiſſima autem ſunt ipſa objecta delectabilia.

*Officium, Et Functio.

Officium temperantiæ eſt, moderatè ſe habere in illis delectabilibus, non ſolùm uſu, & actu externo, ſed etiam affectibus internis; nimirum interius appetendo, quantum, quale, & ubi, quando, & quomodo oportet, & ſimiliter exterius uſurpando, ſicut principale officium fortitudinis, fortiter agere, non ſolùm exteriùs in opere, ſed etiam interiùs in affectibus.

Idem docet *S. Aug. lib. de moribus Eccleſiæ cap.*19. Munus ejus (temperantiæ) eſt in coercendis, ſedandiſque cupiditatibus, quibus inhiamus, in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis ejus, quod eſt beata vita.

Fuſius, & diſtinctius officium hujus virtutis expreſſit *D. Proſper l.3. de vita contempl. c.*19. Temperantia, inquit, temperantem facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſervum, verecundum, hæc virtus ſi in animo habeat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit, &c. ubi quaſdam functiones tribuit temperantiæ, (ut cogitationes ſanctas inſerere, deſideria ſancta multiplicare, animi teporem accendere, mentem ab omni vitiorum tempeſtate defendere) non quòd ipſa hos actus eliciat, ſed quia eſt optima diſpoſitio hominem ad eos præparans, & expeditum reddens: facit enim mentem maximè idoneam rerum divinarum meditationi, ex meditatione autem, & ex conſideratione omnes reliquæ virtutes procedunt: nam omnia penè vitia, & peccata proveniunt ex defectu conſiderationis, quòd bona, & mala pro meritis non expendantur.

*Ejus Regula.

Tradit hanc *S. Aug. lib. de moribus Eccleſiæ c.*21. Habet, inquit, vir temperans, in hujuſmodi rebus moralibus, & fluentibus vitæ regulam, utroque Teſtamento firmatam, ut eorum nihil deligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ hujus, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet utentis modeſtia, non amantis affectu. Ubi nota illud; Vitæ, & officiorum neceſſitatem.

Hieronymus *in c.*14. *Ezech*, explicans illud: Et dices ad exaſperantem: Caro ſimiliter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro neceſſitate corporis facere compellimur, cibum capere, & potum, & ſomnum, & uti veſtibus, quæ tunc circumcidimus, ſi non ad delicias, ad luxuriam, & ad materiam, ſed ad neceſſitatem naturæ, & corporis iſtius ſuſtentaculum cuncta faciamus, qui bibit vinum modicum propter ſtomachum, & frequentes infirmitates, & odit ebrietatem, circumcidit carnem ſuam, &c. Idem tradunt alii. Hic tamen ſub neceſſitate intelligunt etiam utilitatem, & convenientiam; non enim illud ſolùm dicitur neceſſarium vitæ humanæ, ejuſque officiis, ſine quo vivere, aut ea officia obire non potes, ſed etiam ſine quo non potes commodè, & convenienter tuo ſtatui, ſpectata conditione loci, perſonarum quibuſcum vivis, & negotiorum occurrentium.

*Vitia Adverſantia.

Temperantiæ adverſatur intemperantia, & ſtupor. Hunc D. Thomas vocat Inſenſibilitatem; id enim ſonat ἀναισθησία quod Latinè uſitatius ſtupor dicitur. Stupidi enim dicuntur, qui parum ſentiunt. Illud opponitur temperantiæ per exceſſum, hoc per defectum. Stupor enim eſt, cum quis ita averſatur, & fugit delectationes tactus, & guſtus, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum ſecundùm rectam rationem oportet: quod vitium rarum eſt: pauci enim in voluptatibus ideò peccant, quòd parum eas expetant, ut ait *Ariſt. lib.*2. *Ethic. cap.*7.

Intemperantia (Ariſtoteli ἀκολασία) eſt exceſſus in concupiſcendis vel fruendis delectationibus guſtus, vel tactus: ut tum appetuntur, vel uſurpantur, quando, vel ubi non oportet, vel pluſquam oportet, vel non eo modo, quo oportet, vel quas non oportet.

*Ejus Partes.

*Divus Thomas q.*143. *ſuprà*, partes triplices ſtatuit hujus virtutis; integrantes, ſubjectivas, potentiales. Integrantes duas verecundiam, & honeſtatem; nam integrum officium temperantiæ duabus partibus conſtat, fuga turpitudinis intemperantiæ, & amore decoris temperantiæ: ad fugam turpitudinis juvat verecundia, ad amorem decoris honeſtas.

Partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies temperantiæ ſunt, abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, & pudicitia: quod ex D. Thoma ſic oſtendi poteſt. Species enim virtutum, diſtinctionem accipiunt ex ordine ad diverſa objecta vel materias; materia autem temperantiæ ſunt delectationes tactus, quarum duo ſunt genera, quædam enim pertinent ad alimentum, quod conſtat cibo, & po-

&potu; & in his quoad cibum, eſt abſtinentia; quoad po-
A tum, ſobrietas. Aliæ delectationes pertinent ad vim gignendi, quarum alia eſt principalis ex ipſo actu conjunctionis, & circa hanc verſatur caſtitas. Aliæ ſecundariæ, ex oſculis, tactibus, amplexibus, circa hos eſt pudicitia.

Partes potentiales temperantiæ ſunt virtutes quædam ſecundariæ, quæ modum illum, quem temperantia ſervat in frænanda cupiditate circa maximas, & principales voluptates, retinent circa maximas ſecundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinatè tendentem, & efficiens in aliqua materia moderationem, poteſt dici pars temperantiæ, ſeu virtus ei adjuncta.

Tribus autem modis poteſt fieri hæc moderatio. Primò in motibus animi internis. Secundò, in motibus externis. Tertiò, in rebus externis.

Motus interni, quibus anima proſequitur aliquid (præter concupiſcentiam, quam moderatur temperantia) ſunt tres. Primus eſt, motus voluntatis concitatæ impetu paſſionis: & hunc refrænat continentia; qua fit, ut licèt pars inferior patia-
B tur magnos impetus concupiſcentiæ, ſuperior tamen non vincatur. Secundus eſt, motus ſpei, tendentis inordinatè in excellentiam aliquam: hunc refrænat humilitas. Tertius eſt, motus iræ tendens in vindictam: hunc coercet manſuetudo, cui affinis eſt clementia. Externa verò, quæ moderatione indigent, ſunt duo, motus externus, & cultus externus. Motus externos (ſub quibus etiam verba intellige) temperat virtus quædam, quæ modeſtia morum dici poteſt. Cultum autem externum, & omnem apparatum externum regit alia virtus, quam modeſtiam cultus vocare poſſumus.

Itaque partes potentiales temperantiæ ſunt continentia, humilitas, manſuetudo, clementia, & modeſtia duplex. Interdum tamen modeſtia accipitur generalius, ut contineat etiam humilitatem, & ſtudioſitatem, ut patet ex *D. Thom. q. 143. & 160. a. 2.* ubi quatuor ponit ſpecies modeſtiæ. *Hæc ex Tractatu de Jure, & Juſtitia Leon. Leſſii lib. 4. c. 1. dub. 2: 3. & 4.*

* EFFECTUS.

Præclaros ſanè effectus habet, ſive corpus, ſive animam hominis ſpectes. Conſervat enim ſanitatem hominis, & pulchritudinem, in anima autem confirmat, & conſervat inge-
C nium, judicium, ac memoriam: ad hæc prudentiam fovet, unum nomen σωφροσύνης accepit, & in primis reddit, & conſervat hominem aptum ad cultum divinum.

Temperantia eſt modus vitæ, in omni verbo vel opere. Hæc autem ſobrietatis, & verecundiæ, ſeu modeſtiæ comes eſt: humilitatis regulam cuſtodit, ſervat animi tranquillitatem, continentiam, & caſtitatem diligit, decus fovet, & honeſtatem, reſtringit ratione appetitum, iram contemnit, nec rependit contumeliam. *Ber. l. de ord. vitæ.*

Cohibe oculum: cùm enim non attenderis, circumvolvitur. Parcè utere lingua: ſæpè enim profert, quæ melius fuiſſet celari, ſolùm quantum indiget, impende: delicatè vivere ne eligas; amorem enim hujus vitæ conciliat, inimicitia autem adverſus Deum ex utroque naſcitur, averſare in vita gaudium: ipſum enim lubricum eſt, præcipitat exultantes. *Nilus in ſent.*

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum dirigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupidorum, non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere. *Sen. in epiſt.*

* APOPHTHEGMATA.

D PYTHAGOR. Quibus inquiebat, à corpore ſolutus non egebis, illa omnia contemne: & quibus etiam defuncto erit opus, illis tibi vacanti, Deus adjutores precibus advoca, *Stob. ſerm. de temp.*

ALEXANDER à quibuſdam hortatus, ut Darii uxorem, & filias forma præſtantes inviſere, & ſpectare vellet, reſpondit, Turpe futurum, eos, qui viciſſent viros, à mulieribus vinci. *Curt.*

CRATES alios in foro vendentes, alios ementes contemplatus, illi (inquit) quod rem inter ſe contrariam agunt, ſe beatos judicant: at ego me, quod utriuſque, tum emendi, tum vendendi neceſſitate ſum immunis. *Stob. & Laert.*

ANTISTHENES Voluptatem in tantùm execrabatur, ut diceret ſe malle inſanire, quàm voluptate affici. Inſaniam aufert medicus: voluptas cùm æquè mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſt. *Laert. lib. 6.*

DEMOCRITUS dicebat, Cœnas lautas, & ſumptuoſas ſuppeditare poteſt fortuna: at contra faciles, & quæ ſufficiant neceſſitati, temperantia. *Stob.* Idem optimum dicebat homini vitam agere animo, ut plurimùm læto, rariſſimè triſti: quod fieri poterit, ſi voluptates non in perituris rebus locentur. *Stob. ſerm. de temp.* Idem Menſam pretioſam fortuna (inquiebat) apponit, frugalem, & contentam temperantia. Item, Patris temperantia,
optimum liberis præceptum. Item temperantia, quæ jucun- E
da ſunt, auget, & voluptatem majorem facit. *Eod. ſerm.*

SOCRATES dicebat oportere voluptates non ex aliis, ſed ex nobiſpſis aucupari: corpus autem ut decet præparatum, & compoſitum eſſe volebat. Item. Nulla rè indigere Dei eſſe, quam pauciſſimis autem Deo proximum. Item, interrogatus quibuſnam rebus maximè abſtinendum eſſet? reſpondit; turpibus, & injuſtis voluptatibus.

SOCRATES Frugalem, & rebus ſuis contentum animi habitu ſimilem eſſe dicebat vitæ brevi, & amœnæ: multùm enim gratiæ, & parum laboris habet. *Laert.* Idem quærenti, quis ditiſſimus eſſet? pauciſſimis contentus, reſpondit. Virtus enim ſuis rebus contenta naturæ opulenta eſt. *Stobæus.*

PYTHAGORAS Temperantiam robur animæ eſſe dicebat. Hæc enim animæ paſſionum expertis lumen eſt. *Laert.*

DIOGENES indignum eſſe ajebat, athletas, & cytharœdos ventre, & voluptatibus ſuperiores eſſe, hos vocis, & illos corporis gratia, propter temperantiam verò neminem iſta contem-
nere. *Laert.* F

ANTIPHON, Qui turpia, inquit, neque cupivit, neque attigit, is non eſt temperans, Nihil enim exiſtit, à quo ſibi temperaverit, aut modeſtus, & temperans dici mereatur. *Stob.*

ISÆUS Sacrificium maximum judicabat; vitam, & quotidie modeſtam, & temperantem præſtare. *Stob.*

JAMBLICUS, Temperantia, inquit, cùm exterminet à nobis quicquid imperfectum, & perturbationibus obnoxium reperit, quomodo non perfectos nos redderet? Quod autem ita ſe res habeat, vel ex Bellerophontis fabula cognoſces, qui cùm temperantia auxiliatrice, Chimæram, id eſt belluinum, aut agreſte ferarumque voluptatum genus omne confecit. *Ex Epiſt. de temp. apud Stob.*

Temperantiam Quidam eſſe dixerunt animæ partium mutuam confuſionem. Imperium in voluptates, univerſale cognomen omnium virtutum: item, vocarunt eam Columnam fortitudinis, galeam contra laſciviam, oculorum aurigam, benevolentiæ cuſtodem, cogitationum circumciſionem, luxuriæ caſtrationem, effervescentis animi hoſtem, opera turpia impedientem, continentiæ promotricem, cordis conſiliariam, precum, & votorum directricem. *Stob. ſerm. de temp.*

DEMOSTHENES Nullum homini malum accidere poſſe affirmabat, qui ſapientiæ fundamenta temperantiam, & continentiam jecerit. *Stob. ſerm. de temp.*

ÆSCHINES. Temperantis viri vitam tam puram, tamque ſinceram eſſe oportere dicebat, ut ne turpitudinis quidem ſuſpicionem de ſe præbere poſſit. *Stob. eod. ſermone.*

AGESILAUS. Quod ad corporis curam attinebat, nulla in re melius habebat, quàm illi quibuſcum vivebat: à ſaturitate quidem, & crapula in totum abſtinens: ſomno verò ſic utebatur, non ut ille dominaretur, ſed ut ſerviret negotiis, adverſùs æſtus autem, & frigus ſic erat inſtructus, ut quatuor anni temporibus unica tantùm veſte uteretur. Cæterùm cùm in tentoriis inter milites ageret, velut unus quilibet è numero, nihilo meliorem culcitram habebat, quàm cæteri. Illud aſſiduè habens in ore: Principis eſſe non mollitie, delitiiſve, ſed temperantia, ac fortitudine privatis hominibus antecellere. *Plut. in Lacon. apoph.*

HIEROGLYPHICA.

In ſacris noſtrorum literis id erat temperantiæ ſignum, quod in ſalutari victima lumbos eximi mos erat, tanquam impuros *ait Philo*, propter concitandæ libidinis titillatum, ſemine per eos irriguo. Divino autem præcepto lumbos præcingi jubemur, cum ſacra illa ſolemnia ferimus, quæ tunc temporis inſtituta ſunt, cùm exeuntes ex Ægypti captivitate, hoc eſt, ex vo-
luptatum, & deliciarum illecebris, agnum, id eſt puritatem edere H
admonemur, & in caſtimoniæ convictu diſcumbere. *Jo. Pierius l. 34.*

Sacræ literæ temperantiam, & moderationem ſignificant per cingulum, & zonam, qua fluxæ animorum cupiditates coercentur, luxuriantia compeſcuntur, & modus denique imponitur. *Idem l. 40.*

Hieroglyphicum cubiti una cum fræno manu prætento, temperantiam præ ſe fert. *Idem l. 36. & 48.*

Caprificus fuit etiam Ægyptiis temperantiæ ſymbolum. Ea ſi quidem collo tauri quantumlibet laſcivientis alligata, animal ferocire minimè permittit, ſed laſcivia ejus, atque petulantia omni cohibita, eum obtemperantem reddit, neque quicquam ſinit immodeſtius facere. *Idem l. 52.*

☞ *Vide, Abſtinentia, Jejunium, Sobrietas, Virtus.*

TEMPERANTES IN GENERE.

Priuſquam ad ſpecies Temperantiæ ſingulas accedamus, in genere eos, qui vel in omnibus, vel certè in præcipuis voluptatibus
A *moderati fuerunt, referamus, in abſtinendo ſimul, & ſuſtinendo. Et veterum quidem Philoſophorum rara quædam exempla in omni voluptatum genere reperias, ſed illa literis diligenter expreſſa. Apud Chriſtianos verò plurima, eaque valdè illuſtria, quæ tamen partim copia ſua, partim ſcriptorum, qui ea extollerent, inopia, non in magna habentur vulgi admiratione: digna interim tum veræ pietatis, tum etiam ethicæ virtutis nomine, quæ ab omnibus legantur, & memoriæ ad imitandum conſecrentur. Conſule igitur Tit. abſtinentiæ alimentis. Item, Jeju. Item, Libidinis fuga. Quoniam enim jejunium libidinis ardorem extinguit, ferè contingit, ut qui in hoc temperans eſt in venere quoque continens eſſe reperiatur.*

Ægyptiorum ſacerdotum mores præparci in victu, ac frugi prorſum bonæ, & contemplationi dedita mens in ſtuporem uſque à Chæremone Stoico narrantur. Eos enim ſcribit, negotiis omnibus, curiſque rejectis, ſemper in templo fuiſſe, & rerum naturas, cauſaſque ac rationes ſyderum eſſe contemplatos: mulieribus nunquam ſe miſcuiſſe: nunquam cognatos, & propinquos, ne liberos quidem vidiſſe: ex eo tempore, quo
B cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus, & vino ſemper abſtinuiſſe, pane rarò veſci ſolitos, & non niſi cum hyſſopo, adjuvandæ concoctionis cauſa. Ova cum lacte vitaſſe: quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebat, colore mutato. Cubile ex palmarum foliis, quas Bajas vocant, bidui, triduique inediam ſuſtinebant. *Cæl. l. 13. c. 25. ex D. Hie. & Dio.*

Atalantia, virgo pudiciſſima, omne hominum conſortium fugiens, ſylvis, montibus, & ſolitudine delectata, continuis venationibus operam dedit. Stratis autem, lectoque utebatur ferinis pellibus, cibo beſtiarum carnibus, potione aqua, veſtitu tenui, incultoque, & ejuſmodi, qui non abhorreret à Diana, amiciebatur. *Ælian. l. 13. V. H.*

Socrates per omnem ſuam ætatem temperantiſſimè, ac continentiſſimè vixit. Ob eam cauſam cùm bello Peloponneſiaco Athenienſium urbs peſtilentia ad vaſtitatem ferè redacta eſſet, voluptatum abſtinentia Socrates communi omnium cladi obnoxius non fuit. *Gel. 2. Noct. Att. c. 1. & Æl. l. 13. Var. hiſt. & Laert. l. 2.*

Teſtatur *Laert. in Zenonis Cittiæi vita*, Philoſophum hunc,
C tum in victu, tum in voluptatibus venereis uſque adeò parcum fuiſſe, ut crudis duntaxat veſceretur, ac pallio protenui tegeretur.

PYTHAGORAS Philoſophus oluſculis tantùm, & frugibus veſcebatur, carnibus abſtinebat, potum illi fons tribuit. Caſtus in matrimonio vixit: mox in cœlibatu Damam ſuam filiam ad virginitatis votum induxit. *Laertius.*

Quid Diogenis Sinopenſis Cynici aut cultu neglectius, aut victu deſpicacius, aut cubatu durius habuit vita hominum unquam? Pallio duntaxat uno uſus eſt, cætera nudus, oleribus & pane contentus humi jacens ſomnum carpebat: aut cùm molliùs, in dolio. *Sab. l. 2. c. 3. ex Laertio.*

GORGIAS LEONTINUS, ſophiſta clariſſimus, cùm 108. ætatis annum attigiſſet, interrogatus, cur ad tantam perveniſſet ſenectutem? Quòd voluptatis cauſa nihil mihi unquam facere permiſerim, reſpondit. *Cæl. Rhod. l. 19. c. 20. Ath. l. 12. c. 26.* XXC. fermè annis mentis compotem vixiſſe ſcribit.

APOLLONIUM Tyaneum à coitu, vino & carnibus abſtinentiſſimum fuiſſe, ſoliſque veſtibus lineis amictum, tradit. *Philoſtratus.*

DEMONAX Philoſophus Hadriani tempore, inter alias animi
D dotes, vitam quoque continentiſſimam egit. *Volater. l. 15. Anthrop.*

Lacedæmonii hujuſmodi legem habebant, ut nemo Lacedæmoniorum mollitiem aliquam colere præ ſe ferret, aut habitior eſſet, quàm exercitiis conveniret. *Æl.* Frugalitas, & integritas Lacedæmoniorum præ cæteris Græciæ partibus tanta fuit, ut qui caſtè, caſtigatèque viverent, Laconicè vivere dicerentur. *Eraſm. in Agad.*

ALEXANDER Magnus diluculò prandebat ſedens, cœnabat primis tenebris: potabat, cùm diis ſacrificaſſet, alea ludebat cum Midia febricitans, ludebat iter faciens, unà & ſagittare diſcens, atque è curru deſilire. Uxorem duxit ſibi unam amore captus Roxanem Statiram Darii regno, & rebus ita poſtulantibus; intererat enim gentes commiſtione copulari. Cæteris Perſidibus tantùm præſtitit caſtitate, quantum fortitudine viris. Nam invitam aſpexit nullam: Quas aſpexit magis, quàm quas non aſpexit, præteriit; & qui aliis fuit omnibus popularis, ſolis ſe venuſtis ſuperbum præſtabat. De Darii conjuge fœmina ſpecioſiſſima ne vocem quidem, quæ formam ejus commendaret, auribus admiſit. At defunctam adeò funere regio
ornavit, tantòque luxit animi motu, ut ejus caſtitati fidem hu- E
manitas abrogaret, comitaſque in crimen incurreret injuriæ. *Plut. orat. 2. de fort. Alex.*

CLEOMENES Leonidæ F. ut in conjugio cum Agiatide Agidis fuit ſucceſſor, ita quoque ſtudiorum imitator, luxus, & voluptatis omnis hoſtis. *Plut. in Agide.*

NUMA Pompilius ſecundus rex Rom. vitam egit frugaliſſimam: Otio non ad voluptatem, & delicias, non ad quæſtũ, ſed ad deorum immortalium cultum, & ad ipſorum naturam, quantum ratione poterat, cognoſcendam, utens. *Plut. in ejus vita.*

M. Catonis abſtinentiæ teſtis Epirus, Achaja, Cyclades inſulæ, maritima pars Aſiæ, provincia Cypros: unde cùm pecuniæ deportandæ miniſterium ſuſtineret, tam averſũ animum ab omni venere, quàm à lucro habuit, in maxima utriuſque intemperantiæ verſatus materia. Nam & regiæ divitiæ poteſtate ipſius continebantur: & feliciſſimæ deliciarum totius Græciæ urbes, neceſſaria totius navigationis diverticula erant: atque id Mun. Ruffus Cypriacæ expeditionis fidus comes ſcriptis ſuis ſignificat. *Val. l. 4. c. 3. Plut. in ejus vita, & Florus in Epitome.*

TACITUS, vir conſularis, ſenex, & gravis, factus eſt Rom. F
Imp. omnium aſſenſu: vir temperans, ſobrius, & librorum lectioni intentiſſimus. Frugales menſulas oluſculis, & leguminibus Pythagoricis inſtructas, multò lautiores eſſe dicebat, quàm Mileſiorum ſumptuoſa faſtidia. *Guido Bituricenſis.*

Origenes caſtitatis, & continentiæ fuit ab adoleſcentulo ita ſtudioſus ut quaternis obolis in diem victitaret: idque per annos complures fecit, & humi in ſtorea dormivit: & brevi tempore noctu quieſcens, majorem ejus partem in ſacram meditationem contulit: atque ita & inſomnio, & inedia, & nuditate ſeſe ſubigens uſque adeò vigorem corporis edomuit, ut emarcuiſſe videretur. *Suidas.*

PAULA Romana nunquam poſt viri mortem uſque ad diem dormitionis ſuæ cum ullo comedit viro, quamvis eum ſanctum, & in pontificali ſciret culmine conſtitutum. Balnea, niſi periclitans, non adiit. Mollia, etiam in graviſſima febre, lectuli ſtrata non habuit, ſed ſuper duriſſimam humum ſtratis ciliciolis quieſcebat: ſi tamen illa quies dicenda eſt, quæ jugibus penè orationibus dies, noctéſque jungebat: illud implens de Pſalterio: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis
ſtratum meum rigabo. *Hieron. in Epitaph.* G

Sacri annales auſteræ uſque adeò vitæ S. Germanum fuiſſe ferunt, ut ubi à beato Amatore ſacris initiatus eſt, mox animo mutato, & erogato in miſeros patrimonio, uxorem pro ſorore habuerit. Ad noviſſimum uſque diem, frumentarium panem, vinum, oleum, legumen, carneſque ſibi interdixit: quin etiam & ſal, ne quo gulam condimento excitaret. Pranſuro mos fuit, prælibare cinerem, moxque panem eſſe hordeaceum, excuſſum quidem, & aqua remollitum: item cucullo, ſimplicique tunica, & interiore cilicio uti: hæc eadem æſtate, & hyeme juxta ferre, ſupra dolatas trabes ſuperinjecto cinere, dormire, cum acerbiſſima vitam pœnitentia ducere: omnibus gratuitò hoſpitium exhibuiſſe, hoſpitibus in humilitatis exemplum pedes lavare ſolitum. *Bonfin. lib. 4. Dec. 1.*

MACARIUS monachus ſcripſit epiſtolam, in qua docet, neminem Deo ſervire poſſe, niſi qui ſit omninò quietus, & abſtinentiſſimus ab omnibus voluptatibus. *Gennadius.*

JO. ANDREÆ, in jure Canonico excellentiſſ. ſcriptor, annos viginti, pelle tectus urſina, citra lecti delicias, noctibus cubitavit, frequentibuſque jejuniis invigilavit. *Vol. l. 21. Anthrop.*

SELINUS immanis, & ferus Turcarum tyrannus, qui dominan-
di cupiditate patrem, fratreſque interemerat, mulierum pudori H
tanta cum modeſtia conſuluit, ut cùm Iſmaelem Sophi Perſarũ regem cruento prælio fregiſſet, & in illius caſtris multas, & pervenuſtas fœminas reperiiſſet, ab illis abſtinuerit, eaſque ad ſuos maritos redire juſſerit: quæ continentia ad curſũ victoriæ perutilis fuit *Illeſcus in vit. Leõ. 10. Petr. Rib. l. 2. de Princ. c. 12.*

Sed & Conſalvum magna Hiſpana ſtirpe meritò celebraverim: qui tot bellis cùm regnum Neapolitanum ſuo regi vindicaret, conſenſu traditur nullam matronarum, aut virginum temeraſſe, immò & oblatas, aut offerentes ſe (nec novum in tali potentia) comiter rejeciſſe. Atque adeò cùm pater quidam, vir nobilis, ſed pauper, duas filias ſcitas, & lepidas ipſe ad eum perduxiſſet, ratus hac ſe via ad opes poſſe venire: admiſit quidem, ſed cauſa facti cognita, ut ſuas filias dotè data nobilibus viris elocavit à ſe tam integras quàm à parente. *In ejus vita. c. 72. P. Ribaden. l. 2. de Princip. 4. l. 2. Juſt. Lipſ. l. 2. cap. 17.*

Libentius & Chriſtianos hic inſero, & laudo: primumque inter eos Balduinum ex Flandriæ Comite Byzantii Imperatorem, qui annos 32. natus, in ipſo illo ætatis æſtu ſic continuit ſe, & adſtrin-